



*[Faint, illegible handwriting on aged paper]*



1720.

1. Beyer, Christoph: De origine et natura praesentium iudiciorum in iurejurando ejusque celebratione.
2. Cramer, Wilhelmus Lecherius: Dissertationis in iur. juris doctoris ad legem 29. Cod. de pactis.
3. E. Eckardus, Victorius Gotthardus: De exhereditatione specialis hospites viventes. 3 Bunde 1720: 7746.
4. Eckard, Victorius Gotthardus: An et in quantum jure naturae parentes obligentur ad hereditatem liberis post absum relinquentium.
5. Falcknerus, Joh. Fridericus: De eo, quod justum est, circa inquisitionem convincentium.
6. Gebauerus, Georgius Christianus: De Julio Florilio.
7. Haenricus, Joh. Christoph: Inamen dubiorum, contra existentiam atque essentiam juris naturalis in o Formis.

1720

8. Heyland, Autor August: De valore pacti inter  
creditorum et debitorem, ut cuius creditor singulos  
debitoris haeredes in solidum convenire  
potest.

9, 10<sup>a, b</sup>. Hoednerus, Joh. Frider: De operarum in detop.  
minutarum determinatione. 3. Saupfl. 1720: 1741

11. Hoffmannus, Christianus Godofredus: Comatus juris  
naturalis, Romani et Canonici circa doctrinam  
de emphyteusi.

12<sup>a, b, c</sup>. Hoffmannus, Christianus Godofredus: De ratione  
interpretandi leges imperii Romano-Germanici  
publicas. 3 Saupfl. 1720, 1733: 1750


13. Hoyerfeld, Daniel Fridericus: De mercatu  
corporum humanorum

1720.

14. Hohmann, Joh. Pi. Pisonis: Ita usurae ex antiquis,  
non tantum ab pactum et usurae, sed et propter  
naturam contractus solvendae sunt?

top.  
41  
is  
m







35  
764

DISPUTATIO JURIS NATURÆ  
DE QVÆSTIONE:

1720/4

AN ET IN QUANTUM  
JURE NATURÆ PARENTES  
OBLIGENTUR AD HÆRE-  
DITATEM LIBERIS POST  
OBITUM RELIN-  
QVENDAM?

QUAM

AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI  
CONSENSU  
PUBLICÆ DISQUISITIONI SISTUNT  
PRÆSES

1721

M. DIETRICH GOTTHARD  
ECKARD,

ET

RESPONDENS

CHRISTOPH. HEINRICH SEGNIZ,  
SCHENCKENBERGENSIS.

DIE XXII. MARTII ANNO MDCCXX.

H. L. Q. C.

SS

LIPSIAE,

SE

LITTERIS JOHANN. GOTTLIEB. BAUCHIL.



DISPUTATIO JURIS NATURALIS  
DE  
AN ET IN QUANTUM  
JURE NATURAE PARENTES  
OFFICII AD HEC  
DITATEM LIBERIS POST  
D. GOTTFRIDUS WILHELMUS  
POTTER  
AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHIC  
II THEOLOGICAE FACULTATIS  
M. DIETRICHI GOTTFRID  
L. C. K. ARD  
PATERNO STUDIO  
CHRISTOPH. FRIEDRICH SEHNZ  
HABSBURG  
DEI GRATIA  
1777  
LITTELLI JOHANN. GOTTFR. H. ARD




**V I R O**  
**EXCELLENTISSIMO; CONSUL-**  
**TISSIMO, AMPLISSIMO, DOCTIS-**  
**SIMO QVE**

**D. GEORGIO QVIRINO**  
**POECKEL,**

**JCTO,**  
**ILLUSTRIS FACULTATIS JURI-**  
**DICÆ LIPSIENSIS ASSESSORI**  
**GRAVISSIMO,**

*CAUSARUM PATRONO PRUDENTISSIMO;*  
**PATRONO, STUDIORUMQUE**  
**SUORUM PROMOTORI**  
**SINGULARI PIETATE SUSPICIENDO**

UT ET  
VIRO  
EXCELLENTISSIMO, CONSUL-  
TISSIMO, DOCTISSIMOQUE,  
D. CHRISTOPHORO  
DONDORF  
JCTO,  
ILLUSTRIS FACULTATIS JURI-  
DICÆ LIPSIENSIS, ET JUDICII PROVIN-  
CIALIS IN INFERIORE LUSATIA ASSESSORI  
GRAVISSIMO  
*CAUSARUM PATRONO FACUNDISSIMO*  
PATRONO, STUDIORUMQUE  
SUORUM PROMOTORI  
OBSTRACTISSIMA MENTE  
COLENDO.



Viri Excellentissimi, Consultissimi, Amplissimi atque Doctissimi, Patroni, ac Studiorum meorum Promotores,

Sempiterno pietatis cultu. devenerandi,



Perpetuum ac constantissimum parentes inter & liberos pietatis affectum intendisse ac voluisse summum rerum arbitrum Deum societatibus humanis ex liberrima voluntatis arbitrio constitutis nemo facile est, cui non ex ipsa luminis naturæ doctrina abunde perspectum atque cognitum sit. Huic vero liberorum erga parentes,

rentes amorì, obsequio & reverentiæ cognatum  
prorsus esse illud officii genus, quo pietatem illis  
exhibemus, quibus ingenii motumque culturam  
ac ornamenta debemus, quorumque indefesso labo-  
re, cura, & dextèritate studio rerum societatibus humanis  
utilissimarum nos consecravimus, quibusque ducibus vitæ  
felicioris viam ingressi sumus, nullus, qui rem ipsam æqua  
lance trutinat, vocabit in dubium. Etenim cum paren-  
tibus etiam ex eo, quod naturalem vitam ab ipsis habe-  
mus, honor, reverentia atque obsequium debeat, non  
minus illi, qui mentem nostram saluberrimis imbuunt at-  
que exornant disciplinis, artibus, & institutis, quique vitæ  
honestioris fundamenta in animis nostris jaciunt, paren-  
tum loco habendi colendique erunt. Quod dum ego  
quidem mecum reputo, ipsa me pietas vehementissime  
impellit ac urget, ut quæ tot tantisque Viris debeo, qui per  
plures annos, quos in Academia nostra optimis literis ac di-  
sciplinis impendi studia mea juvarunt, amplificaverunt, orna-  
runt, toto animo exsolvam. Quos inter Vos, Viri Ex-  
cellentissi-

cellentissimi, vel maxime appello, qui mihi inter tenebras  
obambulanti manus auxiliatrices benignissime porrexi-  
stis, nec viam solum veritatis, quæ societatis utilitatem  
quam maxime promoveret, consilio, doctrina, & exem-  
plo monstrastis, verum ad ipsa quoque Themidos adyta  
facilem aditum paravistis. Quam ob rem, cum specimen  
quoddam virium ingenii, quod sentio quam sit exigu-  
um, publico eruditorum examini subjiciendum nunc  
fuerit, meum esse duxi, Vestris, Viri Excellentissimi, gra-  
vissimis Nominibus, qui mihi consilio curaque studio-  
rum meorum parentum instar fuistis, devotissima mente  
dicare atque consecrare, ea quæ par est pietate Vos ob-  
nixè rogans atque obsecrans, ut hoc tenue conamen æqui  
bonique consulatis, Nominumque Vestrorum splendo-  
re ornatis atque tueamini. Ego vero, Viri Excellentissimi,  
nihil magis in votis haberem, quam ut luculentius pietatis  
meæ erga Vos, obsequii, & reverentiæ documentum ede-  
re jam possem. Interim dabo operam, ut grati tamen  
animi testimonium illud esse cognoscatis, toto animo pre-  
caus



catus, ut DEVS Vos Vestrasque familias amplissimas diu-  
tissime omnis felicitatis genere cumulet, laboresque &  
curas publicas fructibus exoptatissimis nunquam destitui  
patiatur.

Vestris Excellentissimis, Consultissimis-  
que Nominibus

devotissimus

M. Dietrich Gotthard Eckard.







CONSPECTUS  
TOTIVS DISSERTATIONIS.  
PROLEGOMENA.

- §. I. *Basis generalis obligationis erga singula societatis membra.*  
§. II. *Fundamentum specialis obligationis parentum.*  
§. III. *Quaestio de specialissima obligatione ad bona post obitum relinquenda exponitur.*  
§. IV. *Summa tractationis nostrae ante oculos ponitur.*

TRACTATIO.

PARS I.

- §. I. *An Jure Naturae cuivis liceat morienti bonorum suorum post mortem heredem nuncupare cumque designare?*  
§. II. *Quod detur Dominium, ostenditur.*  
§. III. *Quod illud etiam in alios transferre possimus.*  
§. IV. *Dum vitam vivimus.*  
*In eventum mortis.*  
*Sententiae adversa momenta ac valor trutinantur.*  
§. V. *Momentum primum.*  
§. VI. *Momentum alterum.*  
*His denique subjungitur sententia nostra argumentisque confirmatur.*  
§. VII. *Testamenta sint modus licitus transferendi dominium.*  
§. VIII. *Quod ad praecipuum magis, quam ad merum licitum pertineant.*

X

PARS



PARS II.

Quis sit successor bonorum designandus.

- §. I. *Quaestio ipsa exponitur.*
- §. II. *Argumentum & difficultas quaestionis innuitur.*
- §. III. *Fundamenta generalia, a Doctoribus J. N. allegata, adducuntur.*
- §. IV. *Specialior formatur quaestio, consideratione facta hominis in statu naturæ absoluto & hypothetico?*
- §. V. *An in statu naturæ hypothetico toti societati relinquenda sint?*
- §. VI. *An quidam præ aliis a morituro heredes designandi sint.*
- §. VII. *An indigentiores omnibus præferendi.*
- §. VIII. *An bene de Republica meriti & merentes præferendi.*
- §. IX. *An benefactores & amici, quibus vel maxime benecupit possessor, præferendi.*
- §. X. *An propinquis sanguine bona defuncti præ aliis debeantur.*
- §. XI. *Quinam inter propinquos primum locum in hereditate obtinenda sibi vindicent.*


PARS III.

An liberi habeant Jus omnium validissimum ad bona parentum?

- §. I. *Sententia DD. Juris Naturæ in genere proponitur.*
  - §. II. *Expenditur in genere: an parentes ea, quæ ad sustentationem absolute sunt necessaria, liberis suppeditare debeant?*
  - §. III. *An alimenta hæc ex Justitia explettrice, an vero attributrice debeantur.*
  - §. IV. *An prima tantum ætate nati infantis an & post hæc ad alimenta suppeditanda obligentur?*
  - §. V. *An immunes sint ab obligatione, si ipsi satis, alii tamen plus habent ad sustentandos liberos?*
- §. VI.

- §. VI. An tantum necessaria ad sustentationem naturalem, an vero etiam qua ad honestam educationem pertinent subministrare debeant.
- §. VII. An immunes sint, si non satis facultatum habeant?
- §. VIII. An etiam post fata aliquid relinquere liberis teneantur?  
An etiam in illo casu, ubi liberi semet ipsos sustentare possunt, & quae ad commoditatem pertineant, relinquere teneantur.
- §. IX. An hoc licite fiat Jure Naturæ.  
An ex equitate fieri debeat.
- §. X. An loca scripturae hoc evincant.
- §. XI. Quenam fundamenta a Jure Naturæ Peritis allegentur.
- §. XII. Argumentum a stimulo naturali desumptum proponitur.
- §. XIII. Declaratur & vindicatur.
- §. XIV. Argumentum Beyerii & Willenbergii desumptum a conservatione memoriae expenditur.
- §. XV. Argumentum nostrum ductum ab eo, quod sic liberi felicius in usus societatis emitti possint, declaratur.
- §. XVI. Ratio hujus argumenti petiti ex eo, quod parentes ante alios obligentur ad officia commoditatis liberis præstanda, exploratur.  
An nulla re suspendi vel tolli possit hæc obligatio parentum.
- §. XVII. Annon liberari possint ab hac obligatione, si prævideant liberos bonis relictis abusuros?  
Annon liberari possint, si nulla vel lubentiore inclinatione ad hoc incitentur.
- §. XVIII. Si hæc oriatur ex temperamento parentum.  
Si ex eo, quod actiones liberorum legi non conveniant.
- §. XX. Ex infirmitate.  
Ex malitia.
- §. XXI. Præteriti temporis.  
Præsentis, dum parentes de bonis disponunt.
- §. XXII. Si in genere fuerint vitæ profligatae.
- §. XXIII. Si odio execrabili in parentes ferantur.

- §. XXIV. Si plura commoditatis officia ipsis ab aliis, quam a liberis exhibita sint.
- §. XXV. an omnia bona liberis relinquere teneantur?
- §. XXVI. Quotam partem relinquere teneantur?  
An in partes inaequales dividere possint hereditatem.
- §. XXVII. quod liceat.
- §. XXVIII. Ex quibus fundamentis hoc licet.
- §. XXIX. An primogenitura Jus amplio rem portionem concedat.
- §. XXX. An minimi natu praecipuum quid obtinere debeant.
- §. XXXI. An liberis corporis aliqua infirmitate & labe laborantibus plura concedenda.
- §. XXXII. An propter merita quorundam pra reliquis quibusdam plus dandum.
- §. XXXIII. An maribus plus quam foeminis dandum!
- §. XXXIV. An liberi ex incestu nati aliquid accipere possint?
- §. XXXV. An ex congressu, qui cum consuetudine aliqua vitae conjunctus est, aliis anteponendi?
- §. XXXVI. An legitimi naturalibus praferendi?
- §. XXXVII. An etiam avus & avia ad hereditatem nepotibus relinquendam jure Naturae obligentur.
- §. XXXVIII. Annon parentes defuncti liberis ejus in hereditate praferendi sint?
- §. XXXIX. Annon conjuges liberis in hereditate praferri debeant.





J. N. J.

## PROLEGOMENA.

§. I.



Ominem homini hac in universitate mundi firmæ obligationis nexu obstringi, res est manifestissima omnibus, qui homines a sapientissimo benignissimoque Creatore ad peculiarem finem, qui ab illis & promoveri & impediri potest, conditos considerant. Hoc vero magis colligitur inde, quod ea humanæ naturæ est indoles, ut finis tam sapienter a Deo intentus non tantum non commode, sed & pen-

nitus non haberi & obtineri possit, nisi aliorum opera atque auxilium præpomis in homine conservando eoque propagando adjumento sit. Ex quo conclusio commodissime derivari potest, Deum Optimum Maximum serio intendere ac velle, ut hac ex parte homines mutua sibi invicem officia nullo non tempore sollicitè præsentent. Etenim, cum ille finem, quem quidem sapientissime intendit, voluerit, non potuit non, ut legitima media ad eum ipsum recto tramite ducentia adhibeantur, serio voluisse. Quapropter extra omnem dubitationis aleam positum est, quin etiam obligatio atque officia parentum erga liberos inveniantur, cum parentes liberique ejusdem humanæ naturæ conspiciantur participes.

§. II.

Verum enim vero fundamenta hæc nimis deprehenduntur generalia: ea enim tantum obligatio parentum erga liberos, quam reliqui quoque homines  
A illis

illis debent, ne utiquam autem ista, quæ eosdem arctiori ligat vinculo apte deduci potest. Parentes autem & præter eam proli suæ majori religione obligatos esse; ita ut manifesto ex divina voluntate ad plura majoraque debita atque officia, quam aliis mortalibus obstringantur, in dubium vocari nequit. Quam primum enim in lucem eduntur infantes, nemo sane eernitur, qui, quæ ad vitam eorum sustentandam requiruntur, aptius atque commodius subministrare possit, quam ipsa quidem mater, quæ uterum gestit sætunque enixa est. Hanc benignissima natura instruit ita, ut recens nato infanti temnia ipsique convenientia alimenta præbere valeat, eamque tenerinnis amoris stimulis inditis ad hæc ipsa officia blande instigat. Nec, si soboles tandem in societatis commodum educanda venit, ullus in societate reperitur, cui aptior suppetat occasio, habitum corporis ingeniique indolem, addo & mores ejusdem penitus cognoscere, eamque virtutibus atque honestis artibus imbuendam curare. Nemo etiam facile deprehenditur, qui difficultates molestissimosque labores in educatione subeundos, æquiori ferat animo, quam ipsi parentes, utpote qui flagrantissimo amore officiiisque liberorum mutuis adjuvantur & excitantur. Nec est, quod existimes, ex his omnibus tantum sequi, quod apte inservire liberis possint parentes, nondum vero inde fluere, quod necessario debeant. Huic ergo dubio demonstrationem hanc sequentem putamus satisfacere: Nempe vult omnino DEUS in usum societatis liberos conservari & adolefcere, qui finis a Deo absolute convenienter tamen liberæ hominum voluntati intentus. Ad hunc vero respectu hujus vel illius individui obtinendum non omnes simul concurrere possunt homines, sed tantum eorum aliqui, ergo quinam huic & quinam illi individuo succurrere necesse habeant quaeritur? Respondeo, res ipsa docet, illos omnino, qui ad individuum quoddam juvandum occasionem proximam majoresque facultates habent, qui hoc ipsum negotium perfectius & sine minori molestiæ sensu conficere valent, præ aliis obligari, quæ vero omnia in parentibus magis, quam in aliis offendi videmus. Quapropter etiam magis hos quam alios omnes ad suppetias liberis ferendas obligari sponte consequitur, id quod in universum, quæ ad officia necessitatis suum obtinet locum,

cum,

cum, nullisque determinatur limitibus. Quoad vero officia commoda parentes eodem jure liberis obligantur, quo quidem aliis, interim tamen hi ipsi a parentibus geniti & hic præcipuum quid sepositis omnibus aliis hominibus habent atque tuentur, quamdiu nimirum occasio atque facultas hisce suis officii rite defungendi, parentibus fuerit, Plerumque enim sitale quid aliis præstari queat, ex nobis prognatis sane, nisi mutua parentum & liberorum relatio refragetur, multo commodius ac svavius exhiberi potest. Parentum enim animus abundare sentitur incitamenti, qualia sunt vel maxime reciproca liberorum officia quibus omne tædium ac frequentes molestiæ, quas nimio amore æquissime patiuntur, leniuntur atque compensantur.

### §. III.

Nos vero de arctiore parentum erga liberos obligatione speciatim acturi inoffenso pede ad nostram jam properamus quæstionem. Nimirum institui hic a nobis poterit quæstio, utrum vel ex officiis necessariis, quæ parentes liberis suis debent, an ex iis, quæ propter majorem commoditatem liberis exhibendam iis ipsis incumbunt, firma quædam obligatio derivari queat de hereditate liberis relinquenda. Queritur igitur a nobis: in quantum obligatio beneficio Juris-Naturæ obstringat parentes ad hereditatem liberis post facta sua relinquendam? Nos parentum nomine utriusque sexus personas intelligere, quæ interveniente naturali congressu causa sunt, ut alii existant homines, qui quidem se ipsos educare nequeunt, vel nobis tacentibus, patet, omnesque illos nominandos esse liberos, qui ex illa conjunctione geniti fuerunt, educatione maxime indigentes. Complectimur vero & hoc parentum nomine, tum illos qui causa proxima sunt, ut liberi existant, & qui patris matrisque nomine insigniuntur, tum & illos, qui causa remota putantur, quod hi ipsi adsint, quos titulo notamus avorum, nepotes neptesque sub hac liberorum appellatione comprehendentes. Sub juris naturæ autem vocabulo venit nobis lex Dei, qua per circumstantias in creaturis rationi obvias declarat, quid ab homine fieri, quidque omitti velit. Per hereditatem denique innuimus bona propria post mortem aliis relinquenda. Circa quam materiam,

teriam hand frustra a nobis ventilatur quæstio, quousque propter legem aliquam, quæ ex sanæ rationis fundamentis erui possit, parentes teneantur, ut bona sua post fata in liberos derivent.

§. IV.

Ne autem nostrum argumentum, cui consecravimus operam, obscuritatis vitio laboret, ipsa res nos edocet atque urget, ut indefessi inquiramus 1) Utrum Jure Naturæ bonorum successores, qui ea, quæ morientes relinquimus, sibi vendicant, nostra voluntate denominare licitum sit? 2) Quibus hæc opes ex Juris naturalis principiis vendicandæ ac concedendæ, & annon ex nobis nati merito præferendi sint aliis? Tandem 3) quidnam hæc ratione istis ex parentum facultatibus relinquendum sit, & quousque, quibusque conditionibus, quæve diversitate vim suam atque potestatem hocce jus exerat?

TRACTATIO.

PARS I.

§. I.

**P**Rimo autem loco sub examen venit omnino vocandum: num bonorum nostrorum successores, qui, quæ post obitum reliquimus, occupare debent, Jure Naturæ deaominare & designare queamus? Quo in argumento ex ipsa rei veritate supponendum arbitramur, dominium dari aliquod hominis, darique bona & opes, res nempe in commercium venientes, quæ permutando in alterius dominium transire possint, in quas exclusis aliis liberum certo cuidam individuo competat arbitrium. Tot nempe tantæque varietate distinctæ res existunt, quæ vel ad necessariam, vel ad commodam generis humani conservationem, quam Creator utique intendit, pertinent. Cum igitur Deus ita condiderit hominem, ut hac ratione conservandus sit, judicium profecto est ferendum, eundem quoque serio voluisse, ut res illas, quæ ad conservationem necessariæ sunt, ad hunc ipsum usum transferat homo. Quin imo sana ratio probe agnoscit, voluisse Deum, ut, cum singula quæque generis humani individua ad necessariam sui conservationem hæc rebus



rebus opus habeant, singulis quoque jus ad ea, quæ pluribus æque usui esse possunt, competat. Hanc vero potestatem rebus in hoc universo existentibus ad sui conservationem utendi ac perfruendi, eo quidem sensu vocari haud posse dominium, si quidem vox dominii possessionem cum aliorum exclusione conjunctam significare debeat, *PUFENDORFIO de J.N. & G.L. 4. C. 3 §. 4.* concedendum est. At vero si dominium Jus illud dicatur, quo res quædam plene ad aliquem spectat, dominium utique dici potest. Vide conciliantem hæc Magnif. Dn. Buddcum *theol. moral. P. II. c. 3. S. 5. §. 14.* Contra vero de iis rebus, quæ continuo unius usu sic atteruntur, ut inservire alterius usui minime queant, quas nomine fungibilium insignire assolent Jureconsulti, eundem statuisse, ut isti & cum exclusione alterius cedant, qui primum occupationis jure eas nactus fuerit, ex genuinis rationis principiis colligitur. Quod dum hoc pacto de rebus fungibilibus statuendum est, paulo difficilius est accurate exponere, quid intenderit Deus de iis, quæ commode ac utilitati plurimum successive, vel & simul congrue inservire possunt. Interim tamen hoc maxime conveniens videtur esse, ut, si ex perfectionum divinarum indole atque ex conditione variaque utilitate generis humani argumentemur, hanc Dei voluntatem fuisse credamus, quo in statu naturæ perfectissimo rebus hæc utendi facultas suppeteret omnibus. Quod si enim eadem res pluribus simul vel successive æque commode sufficiat, nullaque inde aliorum incommoda oriantur, maxime omnino commodum est, si unicuique obtinere ubique liceat, quod necessitatibus & commoditatibus ejus inservire possit, etsi nullibi ab eo excludatur. Quam primum vero humana natura mutata est in deterius, adeo ut perversa unius habendi libido vel arcere profus alios ab harum rerum usu, vel usu inordinato perdere illas videretur, placuisse utique Deo est credendum, ut ea etiam, quæ antea sufficiebant pluribus, nunc unius fierent propria. Cum enim humani generis conservationem, quæ naturæ ejusdem rationali & sociali maxime consentanea sit, Deus intenderit, utique rationem illam, qua lites & contentiones inter socios facilius tolluntur, quaque melius & necessitati & commo-

ditati singulorum consuli potest, probavisse existimandus est. *Vid. JAC. GABR.*



WOLF. *inst. Jurispr. natur.* [P. H. S. 1. c. 8. §. 7. Hoc autem Jus hominibus concessum, sibi aliquid cum aliorum exclusione vindicandi, aucto humano genere post lapsum occupatione rerum, modo simplicitati primæ convenientissimo executioni omnino datum est, prout illud recte docet *Illustr. Dn. THOMAS. Jurispr. Div. p. 290. 291. 292.* ut & B. TITIUS noster ad PUFEND. *de O. H. & C. p. 335.* Nec verosimile est universale pactum aliis quod ab universo genere humano ea mente initum intercessisse, ut quod quisque occuparat, sibi ipsi retineret, quanquam illud in subsidium locis quibusdam vocare PUFEND. *de J. N. & G. L. 4. c. 4. §. 4. & 6. p. 504. 505. edit. Hert.* visus fuit, *id. d. O. H. & C. L. 1. c. 12. §. 2.* Nec non ex recentissimis JAC. GABR. WOLF. *inst. Jurispr. nat. P. u. S. 1. c. 8. §. 3. p. 209.* Neque etiam necesse est, ut pacta particularia, quibus inter duo pluraque individua de rerum proprietate transactum fuerit, occupationi ad justum constitutum dominium adjungantur. Etenim natura omnes homines sunt æquales, idemque jus ad res creatas indefinite a DEO concessum est omnibus. Nulli ergo individuo jus aliquod præ altero propter communem utilitatem in res illas competit, ut juste illo haud quaquam uti posset, nisi aliorum consensus illud ipsi relinqueret. Quod vero omnibus ex æquo concessum erat, in suos usus facta prius possessione, jussu dominii titulo, vertere poterat, dummodo & aliis, quod necessarium & commodum esset relinqueret. Namque nullum jus tum competebat alteri contra prius occupantem, ut alter re semel occupata cederet, quodque illi æque ac sibi a Deo destinatum erat, traderet. Pactis certe transigitur, ubi voluntate superioris plane non constitutum est, quid facere aptius sit. Verum ubi de superioris voluntate certa ratione constat, res pactis determinatur minime. Quin imo quodcumque ex pacto datum jus nascitur in illis obtinet causis, ubi vel plane nullum Jus in rem, quæ pacto nostra sit, antea habebamus, vel ubi utrisque paciscentibus idem prorsus jus ad rem possidendam erat. Jam vero in dominii materia suo omnino jure ad possessionem rei sibi vindicandam gaudebat occupans, nec idem jus erat priorem possessorem deturbaturo, quam primum occupanti licet ante priorem occupationem idem utrisque jus esset. Probabile ergo non est, intendisse Deum,

Deum, ut iusto dominii titulo tunc demum res occupate ab occupante possiderentur, si omnes in illud consensissent: hoc enim occasionem novis litibus ferendis suppeditaret, sed probabile potius censetur, illum voluisse, ut, qui jus ab eo concessum in has vel illas res primum occupatione adierit, sive velint, sive nolint reliqua membra, iusto dominii titulo teneat. Qua de re utique recte sensit B. *TITIVM* quondam nostrum *obs. ad PUFEND. de O. H. & C. l. 1. c. 12. obs. 270.* si de dominio & proprietate ex voluntate Dei constituenda quaestio sit, existimamus, licet non possimus non, si nempe de dominii ipso facto introductis sermo sit, assentiri *Exc. GRIEBN. princ. Jus resp. natur. l. 1. c. 6. §. 6. p. 84. & 85.* utpote qui dominia successu temporis ita iudicat enata, ut pacta particularia intercesserint, aliis proprietatibus per leges demum ab imperantibus constitutis. Ex hisce omnibus vero luculenter apparet, quicquid etiam de modis, quibus dominia primum existere ceperunt, quis statuatur, dominia particularia nempe institutum esse humanum, id quod natura humana in deterius prolapsa ipse creator propter communem generis humani utilitatem approbavit.

## S. II.

Dum vero hac ratione legitimum dominiorum titulum defendimus, num & illa nostra voluntate in alios transferri possint, exponendum sane erit. Qua quidem in re manifestum certe est, quod, si possessor vivis semel ereptus fuerit, res antea ab eo possessae ipsi amplius nulli usui sint, quae interea tamen neutiquam desinant res esse vel necessitati vel commoditati vitae humanae intervenientes. Permanet ergo circa illas divini Numinis voluntas, ut ab aliis in usus convertantur convenientes, Verum utrum prius occupanti cedere nunc debeant, an quorundam ex aliis majus in illas jus sit, an primi possessoris voluntate, successor in eas designari possit, & num ad aliquem praeter alios ex voluntate Dei designandum primus possessor obligetur, argumentum est variis iisque gravibus difficultatibus involutum. Cum vero hujus vi res ad usum liberrimum praeter alios pertineat ad aliquem, ex ipsa hujus dominii natura primum fluit, ut eadem res donatione aliis, vel & alio contractu ita concedi

possit, ut quoque dominio illo nos plane abdicare queamus. Ex quo porro consequitur, rerum nostrarum transferri a vivis in alios posse proprietatem, qua de re conferri merentur dicta *PUFENDORFII J. N. & G. L. 4. c. 9. §. 1.* Neque vero hoc jus ex dominio fluens constituta inter homines societate aboletur, modo non ad Reipublicæ hostem, cujus membrum sumus, perveniat. Quoties enim dominium in rem arbitrio nostro reliquit societas, ita ut bona non sine molestia nostra acquirere, conservare, augereque poterimus, toties quoque consentit, ut libere utamur eo, nisi in quantum aliorum sociorum ex eo damna oriri possint.

### §. III.

Posito itaque, transferre in alios dominium licere, si scilicet vivis nobis ad alios perveniat, quod & licitum sit in mortis eventum rebus nostris alium dominium cum effectu destinare, domini quidem indoli & voluntati Dei tunc videtur repugnare. Interim tamen nonnulli Juris periti, quod hæc facultas jure competat homini ita de bonis suis in eventum mortis disponendi, non omnino manifestum satis esse judicarunt. Quibus ipse *PUFENDORF. J. N. & G. L. 4. c. 10. de testam. §. 4. p. 576. seqq.* prævit, ex eo dubium oriri existimans, quod res, quarum dominium in introductum est, ad mortuos nihil amplius attingant, id quod & *B. BEYER. delin. Jur. div. nat. & posit. c. 22. n. 52. p. 147.* adoptasse videtur, dicendo, facultatem de rebus nostris disponendi jure naturali tolli per mortem. At vero solidum ex eo dubium subnasci haud potest, quasi possessores legitimi in mortis eventum de bonis suis ad alios transferendis disponere non possent, siquidem ex eo tantum sequitur, quod nullum hominibus mortuis in res hujus vitæ dominium conferri possit, minime vero, quod vivis ab illis, qui adhuc vivunt, nihil sub conditione mortis eventuræ cum effectu destinari queat. Cum enim non censetur absurdum alteri aliquid de bonis sub conditione implenda obtinendum destinare, mortis eventum hæc ipsam esse conditionem, non repugnat. Nec contrariatur, quod hæc ratione jus aliquod mortui, quod nullum in res humanas esse concedimus, transferri videatur. Neque enim Jus mortui, quod jam mortuus habet ut mortuus transfertur, sed jure vivi, quod adhuc vivus habebat, post mortem ejus in bona

bona perfruitur successor. Hoc autem vivo altero non nisi sub conditio-  
ne habebat, quæ quidem conditio cum ipsum tempus futurum involveret,  
ex rei natura usu liberrimo atque adeo dominio utique alterum arcebat,  
quippe quod non nisi adimpleta conditione, facta nempe morte, obtineri  
poterat.

§. IV.

Eodem abeunt, quæ ex eo deducuntur, quod mortuorum voluntas jure  
possit negligi, ideo quod rebus humanis mortui sint exempti. Erenim  
cum a vivis hæc fiant dispositiones, aliunde probandum venit, quod sub  
conditione mortis eventuræ vivi nil ita testari possint, ut æquum sit Jure  
naturæ, quo hoc ipsum quod constituere, post mortem a superstitibus ad-  
impleatur. Sane ex more gentium ad ultima mandata servanda suos ju-  
rejurando adstringentium colligi nequit, vivos jure quodam tale quid in  
mortis eventum disponere non posse. Quod si enim a biblicis abstrahas  
exemplis, nisi rei justitia aliunde pateat, ex gentium consuetudine justitia  
facti probari nequit. Neque ex hoc factis gentium colligere statim fas  
est, tale quid recepisse eas, quasi nullam superstitum obligationem ex ipsa  
re fluentem esse arbitrentur, sed introductam illam potius per juramen-  
tum. Nam cum homines propter affectuum stimulos alios ipsam obligatio-  
nem sæpissime neglecturos scirent, potuerunt in hoc casu juramentum  
exposcere, ut hac ratione ad id, ad quod jamjam obligati putabantur, offi-  
cium neglecturos religione & metu nunquam fortius obstringerent. Nec  
est, quod existimes, sic quidem defendi, quod vivus aliquis in mortis even-  
tum, alteri coram sua destinare bona possit, quodque, si ille vivo adhuc  
altero hoc acceptaverit, æquum sit, ut ad bonorum possessionem post  
prioris possessoris mortem a superstitibus admittatur. Hoc enim in dis-  
crimine Coccejus omne fundamentum negativæ sententiæ, quam tuetur,  
collocatum esse existimat, quod nempe testamenta sint Juris Naturalis, quæ  
quoque strenue defendit HENRICUS COCCEJUS *diss. de just. bell. & pac.  
instit. Regn. Portug.* Et Præside eodem COCCEJUS filius *disput. Jur. in  
aug.*

*aug. de testam. Princip. p. 1.* Huic quodammodo ipse prævit *PUFEND.*  
*J. N. & G. L. 4. c. 10. §. 6. & Illustr. Dn. THOMAS. fundament. J. N. & G. ad*  
*L. 2. c. 10. Inst. Jurispr. div. p. 168.* dicendo: Testamenta tantum sunt Juris  
 Civilis, mors enim extinguit omnia Jura, quomodo ergo posset abstrahendo  
 a legibus civilibus incipere, valere voluntas viventis, eo tempore, ubi nullum  
 Jus habet. Jungatur *JAC. GABR. WOLF. inst. Jurispr. nat. P. II. S. I. c. 3.*  
 qui horum partes tuetur. Si vero accuratius a Coccejo disputata perpen-  
 damus, ab eo id utique evictum concedi potest, quod testamenta nullo mo-  
 do ad Jus Naturæ referri queant sub titulo alienationis in sensu juridico  
 acceptæ, quam vocem generis loco *GROTIUS de J. B. & P. L. 2. c. 6. §.*  
*ult.* in definitione testamenti adoptavit: concedendum est ulterius, quod  
 nec ita ad Jus Naturæ pertinent testamenta, ut ipsa rei proprietatis vivo te-  
 statore ad heredem transmissa dici possit, quo sensu a Grotio testamen-  
 tum definitum esse, ex definitione ejus Coccejus elicit. Quin etiam con-  
 cedi potest dissentientibus, quod non sub titulo contractus alicujus in sensu  
 Juridico accepti ejus quidem, qui mutuo consensu utriusque partis expres-  
 so nititur, ad Jus Naturæ testamenta revocari possint. Verum enim vero,  
 si jam remotis hujusemodi terminis formetur quæstio: annon ex circum-  
 stantiis, quæ cognitioni rationis obviæ deprehenduntur, cognoscatur, posse  
 legitimum bonorum suorum dominum in eventum mortis alii cuidam,  
 etiam tum inscio, bona sua ita destinare, ut post mortem testantis factam,  
 si quidem ejus antea non mutata fuerit voluntas, exigere hereditatem a  
 superstitibus ex illo fundamento possit, & annon ipsa rationis principia o-  
 stendant demonstrentque, esse profecto æquum, ut superstites heredi ita  
 constituto bona defuncti permittant. Proinde si res eo proponatur sentio,  
 nobis haud persuadere possumus, dissentientes & ipsum *COCCEJUM disput.*  
*de Test. Princ. Part. I. §. 18.* asserere, testamenta nihil quicquam partici-  
 pare de Jure Naturæ, illaque non tantum legibus naturæ esse adhuc imper-  
 fecta, proinde eo jure penitus nulla atque invalida, sed & §. 22 testamenti  
 rationem adeo naturæ adversari, ut pugnam naturalem & contradictionem  
 includat. Quippe ea adduxit, ut imperfecta & invalida Jure Naturæ tes-  
 tamentis.

flamenta esse evinceret, id quod probat, quia ex testamento semel facto, si  
 illud non ultima fuerit voluntas, ad immutabilem voluntatem de eo imple-  
 do testator non obligetur, & quod nondum spes absoluta impetrandæ heredi-  
 tatis inde nascatur heredi, atque etiam ad hereditatem adeundam, si nolit eam  
 adire, haud quaquam obligetur. Id vero nondum evictum cernimus, quod  
 de bonis suis non possit ita dispoñere legitimus possessor, ut ipsa sana ra-  
 tio agnoscat hoc omnino licere & convenire, quodque facta semel testato-  
 ris morte, & voluntate ejus haud mutata, ex fundamento testatoris, si velit,  
 hæres non possit exposcere tanquam officium superstitum Juri Naturæ con-  
 gruum, ut sibi bona defuncti possidere liceat. Neque dissentientibus in eo  
 possumus accedere, quod nullum plane jus vivo adhuc testatore in here-  
 dem derivetur, hujuscemodi enim relatio inter heredem constitutum omni-  
 no existit, ut heres quamprimum quidem constitutus est, illa sit persona, quæ  
 post mortem testatoris, si hæc ejus ultima perseverit voluntas, ipseque velit,  
 non tantum licite, sed etiam ex æquo præ aliis Jure Naturæ hereditatem, ut  
 primum hoc cognoverit, adire queat. Quod si hanc ipsam relationem,  
 quantum temporis, quo constitutus est heres, præ aliis habet, regulariter  
 quidem ad bona impetranda, jus dicere nolis, ideo quod heredi nondum  
 tribuat facultatem ad id, quod ita constituit, servandum, testatorem obli-  
 gandi vique legis naturæ cogendi, de ipso termino nulla nobis lis erit. Hæc  
 interim perseverabit assertio, quod certa hæc adsit relatio, quam habet præ aliis  
 ad testatorem heres, quæ illi regulariter gratum quid attribuit ac vindic-  
 cat, nempe spem alterius bona sub conditionibus antea expositis impe-  
 trandi. Nec obstat, quod spei eventus non sit absolute certus, ut pote  
 suspensus ex natura hujus actus a morte testatoris & conditione si ultima  
 fuerit voluntas, item consensu præsumto nuncupati heredis. Neque  
 vero hujuscemodi consensus præsumtus in Jure Civili tantum obtinet, sed  
 etiam extra illud alterius præsumi potest consensus, si factum aliquod con-  
 spiciatur justum, communisque alias hominum eo vergat inclinatio.  
 Siquidem uti ex sequentibus clarius patebit, res omnis eo redit, ut de-  
 monstrareur, posse aliquem bonorum suorum legitimum dominum in-

mortis eventum sub consensu alterius præsumto bona sua ita destinare alteri, ut ex destinationis istius fundameato post testatoris mortem, non licite tantum ejus præ aliis expetere possit bona, sed ita etiam expetere, ut ipsa sana ratio agnoscat æquum esse, quo superstites illi bona hoc modo destinata utique permittant. Quæ solide satis excusserunt *Magnif. Du. BVDD. select. Jur. Nat. & G. Diff. de testam. summor. Imp. §. 3. & 4. BARBEYRAC. in not. ad PUFENDORF. de J. N. & G. L. 4. c. 10. §. 4. Conf. etiam Celeberr. POLYC. MULLERI nostri Diff. de testam. licita, sed non honesto, Lips. 1718.* atque ab eo citatos Autores.

§. V.

Verior itaque eorum est sententia, qui defendunt, sanam rationem agnoscere, quod bona in alium transferre utique liceat, quodque justum illa præ aliis petendi fundamentum contra alios inde oriri queat. Etsi vana certe sit opera *authoris novæ methodi Jurispr. p. 56.* qui ex animæ immortalitate facultatem etiam bona post mortem ad alios transferendi derivat. Quin & a vero quam maxime abludit illud *GROTII*, dum *de J. B. & P. Lib. 2. c. 7. §. 3.* dicit: credibile non esse, ejus aliquem mentis fuisse, ut post mortem sua bona occupanti cederent. Quamvis vero quod licitum & æquum sit, bona ita transferre, hoc non evincat, aliz tamen ad sunt rationes, quæ illud ipsum demonstrant ac firmant. Primo enim certum est, dominium domino largiri facultatem rem suam etiam in alium transferendi, ipso *PUFENDORFIO* idem asserente *J. N. & G. L. 4. c. 9. §. 1.* Proinde vi hujus ipsius facultatis res suas non pure solum, sed et sub conditione transferre in aliquem possessor legittimus potest, quod recte utique affirmat *GROTIUS J. B. & P. L. 2. c. 6. §. 14.* Etenim cum ex dominij natura illud fluat, ut liberrima voluntate rem meam ad alium transferre profus liceat, ex eodem quoque liberæ voluntatis arbitrio exigì potest ab altero conditio aliqua implenda, dummodo ea legibus non sit contraria. Jam vero si illud attendas, legi divinæ nequaquam repugnabit, ut etiam sub temporis futuri conditione ad alios res nostras transferamus. Imo pari quoque ratione non advertatur legi divinæ, si in mortis eventum,



eventum a vivo possessore designetur successor bona post mortem relicta ad-  
 igitur. Quod si enim rem in genere consideremus, principii socialitatis  
 minime judicatur adversum, si quis statuatur in re licita, quid post obitum suum  
 fieri velit a superstitibus, & quæ fuit ratio, ut alii consentirent id, quod vivus se  
 adhuc vivo fieri voluit, permanet quoad fundamenta eadem, ut adimpleant  
 illi id, quod vivus se mortuo fieri exegit. Namque ea est meritorum, quæ  
 a defunctis in societatem olim exitere, indoles, ut si illorum penes superstites  
 etiam post fata vis aliqua & autoritas sit, multo efficacius permoveantur ani-  
 mi ad illud in vita exequendam, cujus durabilis & perpetuus usus fit: id quod  
 etiam de dispositione circa bona in eventum mortis valet. Cum enim si mor-  
 tuorum res occupanti cedant, lites gravissimæ societatem turbaturæ sint, cer-  
 tum est, non omnium superstitum arbitrio relinqui posse dispositionem ex usu  
 societatis de bonis defunctorum, sed modo aliquo determinandum esse, quo  
 plurimæ contradictiones tollantur, ad quemnam ea pertinere debeant. At  
 vero posset hoc modo totius societatis arbitrio & consensu, vel si semel pote-  
 stas superior introducta fuerit, per Magistratum statui de personis, quæ in bo-  
 na defunctorum succedere debeant. Verum cum societas liberum vivo  
 possessori arbitrium de bonis suis disponendi permiserit, multum vero animi  
 mortalium incitentur ad bona tuenda ac conservanda magis, si post fata et-  
 iam ad illos ad quos ipsi voluerint, pervenerint, nulla sane apparet ratio, cur  
 violare hac parte legitimi possessoris voluntatem debeat. Accedit insuper  
 æquum haud esse, ut bona, quæ quis summo sibi acquisivit labore quæque con-  
 servavit ac ampliavit, ad illum qui ejus in vita fuit inimicus, devolvantur.  
 Hoc autem ipsum non poterit satis commode evitari, nisi ad possessionem  
 eorum admittatur is, quem ipse vivus post fata sua admitti voluit. Nec est  
 quod existimes, id valere haud posse, ubi vivo possessore a successore instituto  
 dispositio de bonis accipiendis non fuerit ejus consensu approbata atque ac-  
 ceptata. Nihil namque in eo legibus naturæ adversum est, si quis suam rem  
 destinat alteri, sub ipse consensus præsumti, quem quoque præsumere ex genui-  
 na boni alteri destinati indole convenientissimum est, recteque *TITIVS*  
*obf. l. 1. p. 335.* ostendit, homines vivos ex societatis lege teneri, ut volunta-  
 tem

tem prioris possessoris in statu suo ad acceptationis effectum in relinquunt. Hic ergo si acceptare voluerit, a reliquis societatis membris exigere potest, ut bonorum ita destinatorum occupationem & possessionem permittant quietam. Conf. *Excell. RECHENBERGII nostri institut, Jurisprud. nat. L. II. Tit. 7. §. 17.*

### §. VI.

Quæ cuncta quodsi paulo accuratius jam expendantur, difficile sane non erit, expedire questionem: an testamenta præcipiantur Jure Naturæ, an vero tantummodo pertineant ad licita, quæ quidem fieri & intermitti salva voluntate divina possint. Testamenta esse licita ipse *PVVEND. l. c. pag. 578* concedit facile, nec quenquam forte dissimulaturum existimat, hominem in eventum mortis, si velit, disponere posse. Ac vero idem etiam *l. c. p. 580* negat, testamenta naturaliter fluere ex rerum dominio, esseque ea Juris naturalis. Pari quoque modo hæc ipsa de re mentem suam hisce explicat *J. N. & G. L. 2. c. 3. p. 215.* ut non proprie sed reductivè ad Jus Naturæ testamenta referenda esse doceat, eo quod Jus Naturæ non circa hæc versetur præcipiendo, sed quod Jus Naturæ non repugnet, & quod pro certo generis humani statu, pacis & tranquillitatis ratio hæc introduci siverit, ipsaque ratio dicat, hæc esse honesta & meliora suis oppositis. Quorum & referuntur, quæ habet *ANDR. ADAM. HOCHSTETTERVS Colleg. P. V. Exerc. 8. pag. 385.* Quæ de re *COCCEJVS* ita *l. c. supr.* mentem suam declarat, ut contraria Juri Naturæ asserat testamenta. De tota autem controversia statuendum nobis ita videtur. Deus vult, ut dominio semel introducto, quoties illud quidem transferendum, omnes lites, quibus societas plane destruitur, prorsus evitentur: Cum vero non solum quæ ad conservationem societatis necessaria sed etiam quæ comoda ipsi videntur, intenderit, voluisse quoque illum certo apparet, ut in transferendo dominio omnes modi quoad fieri potest, evitentur, quibus lites societatis commoditatem turbantes feruntur. Ex hoc porro deduci potest, eum prohibuisse omnes illos domini transferendi modos, quibus ipsi dissidiis, quæ alio  
evitari

evitari poterant modo, via sternitur. Quodli vero istos omnes modos prohibuit, illos certe etiam homines, qui secus agunt, detestatur, alios, qui hac in re quod intentioni ejus congruum est faciunt, vi contrariorum probando. Sane frustranea hæc foret detestatio, nisi homines quoque ejusdem redderentur conscii: at vero conscii eum efficacia reddi haud possunt, nisi malum aliquod ipsis propterea expectandum colligere queant, actuque ipso aliquando illud experiantur. Ratio itaque colligit, velle DEUM præceptive, ut in dominio etiam post mortem transferendo modi illi caveantur, quibus litium alia ratione evitandarum semina sparguntur. Ast si plures domini post fata transferendi fuerint modi, quibus æque penitus & societatis, damna averti & comoda æque facile obtineri possint; certo liquet, unum modum non minus quam alterum licite eligi posse. Si autem diversa horum modorum ad lites amovendas atque emolumenta eadem æque facile procuranda fuerit relatio, certissimam putatur Deum velle, ut illum sequamur modum, qui mala alias oritura feliciter tollit, pluraque commoda brevior via societati comparat. Ipse vero hic modus non ut licitum quoddam tantum poterit considerari, nam non est res quæ ad finem Dei indifferenter sese habet, & quæ ideo fieri atque omitti potest, sed quoniam Dei finem magis promovet quam alii modi, dubium non est Deum hunc eligendum proposuisse. Quodsi igitur de testamentis evictum satis fuerit, hunc esse modum transferendi dominium post fata possessoris prioris, qui quidem magis, quam omnes reliqui utilis sit societati, hunc ipsam non licite solum sed quoque ex majori convenientia cum Dei voluntate ab hominibus observandum esse sequitur. Hoc vero existimo in præcedentibus a nobis prolatis argumentis satis fuisse deductum. Nec nostram evertit sententiam quorundam opinio, qui hæc tantum exigunt honesti & decori, non vero justis regulis opinantur. Si enim honesti regulis tale quid exigatur, voluntate divina præceptiva exigere sane in propatulo est, etsi quidem non ut officium necessitatis, sed commoditatis exigatur. Id quod si quis observat potest certe non objici sententia, testamenta non esse Juris naturalis præ-

præceptivi licet Pufendorfius illud supra negare videatur, Namque ea tantum id evincunt, ut non cen officium necessitatis ad Jus naturæ præceptivum pertineant. Quod si enim voluntate prioris possessoris de successore quodam statutum fuerit, lites facilius evitantur, quam si res in dubio remanserit. Quid quod, quælibet societatis membra, ad bona sua conservanda tuendaque magis incitantur, quo pluribus ea per plures annos inservire possint, si ipsis quem voluerint successorem nuncupare licuerit, quam si aliorum arbitrio res omnis subiecta sit. Quantumvis autem hoc tantum ostendat, modum huncce quo ipsi nos voluntate nostra bona ad alios transferimus, præferendum esse aliis modis, ubi quis heres bonorum ab aliis designatur, securitas tamen testatoris atque liberrimæ voluntatis hac in re usus ostendant facile, hunc ipsum modum Donatione inter vivos quoque longe præstantiorem esse.

## PARS II.

### §. I.

**H**Actenus itaque probavimus, legitimum possessorem in mortis eventum non licite tantum, sed etiam ex principiis majoris convenientiæ hac ratione disponere posse de suis bonis, idque tanto magis ex societatis commodis, si vivis ita de bonis suis statuendi relinquatur facultas, quam si post fata priorum successorum societas ipsa, ad quem bona vacua pertinere debeant, determinet: ostendimus quoque ex utilitate societatis magis esse, si bona per testamentum transferantur, ideo quod hic modus majorem liberrimæ voluntatis usum, majoremque securitatem testatori relinquat, quamquidem reliqui modi. Jam vero vel maxime queritur: in quorum favorem disponere de bonis suis legitimus debeat possessor? Quæstio nimirum in eo versatur: utrum si hanc actionem ad DEI voluntatem referas arbitrio possessoris profus relicta sit successorem, quemcunque voluerit nuncupare, an vero ex principiis naturæ sana agnoscat ratio, quosdam inter homi-  
nes

nes aliis esse præferendos, DEVMque velle, ut hi præprimis in successione in bona recte designanda ac determinanda aliis anteponanatur.

§. II.

Esse hocce argumentum ejus generis, in quo vix invenias, ubi pedem figas, cujusque excutiendi vel omnino nullus vel exiguus plane usus sit, si exactatis rationis humanae judicium ferendum veniat, arbitrati sunt celeberrimi viri. *B. COCCJEVS quidem differt. cit. de testam. Princ. P. I. §. 36* omnes a Grotio allegatas rationes, quas conjecturas dicit, inanes merasque divinationes a Juris Naturæ principiis penitus rejiciendas existimat, *Illustr. Dn. THOMAS, in emend. fund. infl. Juri. pr. div. adject. fund. J. N. & G. L. 2. c. 10. §. 13. p. 186.* ita judicat & ratiocinatur: Cum tota successione ab intestato materia nitatur conjecturis, facile patet, quod non sit difficile homini ingenio prædico in controversiis successiones ab intestato respicientibus invenire rationes non improbabiles ab utraque parte, unde hic Principibus magis commendanda, ut de forti milite sibi prospiciant, quam de subtili Justitia deductione. Cui quodammodo calculum adjicit *B. TITIVS ad PVFEND. de off. H. & C. L. 1. c. 12. observ. 302.* Nam successione ab intestato ex effectu hominum ita colligi judicat, ut tamen istæ collectiones non usque adeo certæ fiant. Idem *l. c. observ. 304.* inquit: Non est, ut privati præsumptionibus immoremur, cum lege & conventione illa omnia certius definiri soleant & debeant, negata hac definitione privatae collectiones parum profunt, ea autem posita, his plane non indigemus. Neque profecto negandum est, difficultates occurrere gravissimas, quæ ex rationum diversitate modo hoc modo illos ex diversis capitibus ad successione in bona admittentium oriuntur. Interim tamen res nondum penitus insuperabilis & considerationis mere inanis esse videtur, cum investigare utique consultum sit, quid etiam ratione dictante fieri a nobis velit DEUS. Primo verò satis superque manifestum est, testatoris arbitrium, dum bonorum successor em scribit, si hæc res cum voluntate DEI comparetur, non adeo liberum esse, ut quomodocumque in transferenda possessione versetur, eodem modo quoque illud summo legislatori

C

DEO

DEO probetur. Siquidem quæ ex legitimo contractu aliis debentur e. g. laborum debita, merces, in præjudicium ejus, qui exigere jure poterat, libero possessoris arbitrio in alium transferri haud possunt, quod etiam apud Juris Naturæ peritos in confesso est. Neque possessori in illum bona sua transferre liceret, qui quidem in prænicem generis humani, societatisque damna, adhibiturus ea foret, quoties demonstrative illi innotesceret, ad alterum delata bona in aliorum damnum conversum iri. Quin imo certo certius est, DEUM utique velle, ut bona prioris possessoris morte vacua ad alios transferantur, ita ut humani generis societatisque commoda neququam intervertantur, sed conserventur ac promoveantur.

## §. III.

Verum his omnibus positis, quæstio nihilominus expedienda restat: qui nam ergo successores bonorum eligendi veniant, si ex societatis utilitate bona post mortem relinquenda sint aliis. Equidem Juris naturæ interpretes, quoties argueantur de successione ab intestato pertractant, bona post mortem prioris possessoris relicta ad illum pertinere dicant, ad quem ut spectent voluntas ipsorum defunctorum maxime probabilis videatur. Verba hæc sunt *GROTII de J. B. & P. L. 2, c. 7. §. 4.* in dubio vero, inquit, creditur id quisque voluisse, quod æquissimum atque honestissimum est. Eundem in modum *PUFEND. J. N. & G. lib. 4. c. 11. §. 1.* dicit: rationem naturalem dicitur esse, sequendam hic defuncti voluntatem probabilissime præsumtam, in dubiis autem præsumi quemque id voluisse, quod naturali inclinationi simul ac officio quam maxime congruit.

## §. IV.

Rursus autem quæri potest: Quis præsumi debeat heres a priori possessore constitutus, quisque ex æquo & honesto vel maxime nuncupandus fuerit heres. Pretium hic erit operæ, ut ad quæstionem evolvendam hominem consideremus partim in statu naturæ absoluto, qui pactum ali- quod speciale haud supponit, partim in statu naturæ hypothetico. Quod  
si in

fi in statu naturæ absoluto illum respiciamus ac consideremus, ita ut ne quisdem ut civem intueamur, tres potissimum consilui possunt, ad quos bona defuncti devolvi queant. Dantur enim vel indigentiores, vel & illi qui beneficiis operaque sua amorem defuncti cujusdam, dum adhuc viveret, maxime provocarunt, atque irritarunt, vel denique sanguine propinqui, quippe hi quantum ad ascendentes & collaterales, existunt etiam sine speciali pacto, etsi ex statu hypothetico hoc fluat. De his ergo dubia videtur esse, num ex Dei voluntate ad hos magis, quam ad illos bona relicta transferenda sint. Respiciendo vero hominem in statu naturæ hypothetico in quo jam ordinariè reperitur, ita ut ad minimum civis sit, primo loco quaestio formari potest, num ex intentione divina ad totam societatem, cujus quidem membrum defunctus fuit, facultates ejus pervenire debeant, ita ut ipse obligetur; libere huic bona relicta permittere, an vero ad unum præ reliquis individuam devolvenda sint.

## §. V.

In §. præcedenti a nobis jam fuit declaratum, consultius esse, si non ipsa societas post defuncti fata designet ac determinet, cujas esse debeant bona relicta, sed si possessor, dum adhuc in vivis erat ex libera sua voluntate eligat, quem bonorum suorum velit successorem: videri tamen hic posset convenientissimum esse, ut motu spontaneo toti societati, cujus membrum existit, hereditatem suam relinquat. Hinc quodammodo sententiæ accedere videtur *B. BEYER, del. Jur. div. nat. §. pos. c. 22. n. 33. p. 174.* dum Juri Naturæ minime adversum judicat, si post subsidia educationis nondum liberis relinquenda, reliquum ex defuncti facultatibus terrario populi inferatur. Neque vero specie tantum liciti tueri se hic potest modus transferendi dominii, sed convenientior posset haberi reliquis, ex ea ratione, quod societas in bonis colligendis & conservandis dum securitatem nimirum præstitit, vel maxime adjuvit defunctum. Verum enim vero cum ea defunctus, quæ hac parte a societate in eum collata fuere, partim sua opera & mercede iis exsoluta, quorum labore atque industria in  
bonis

bonis suis acquirendis & conservandis adjutus est, compensaverit, partim officii societati, dum inter vivos adhuc erat, præstitis, reciproca meruerit officia, ex hoc quidem fundamento colligi nequit, societatem integram heredem a defuncto esse constituendam. Accedit & huic argumento, quod supra jam a nobis *Parte I.* probatum fuit, multum hac ratione imminui bona in usus superfluum conservandi ac tuendi studium, si non satis liquido appareat, quibus potissimum individuis bona post fata nostra usui futura sint. Neque vero possessori cuidam tale quid certo constat, si res publica omnibus ex æquo distribuatur id, quod nec sat commode fieri posset, cum exiguae magis facultates inter plures hac ratione divisæ ac distributæ nemini satis proficuae forent, siue inter quosdam disperterentur, siue ipsa Curatores bonorum constituatur, siue bona ita accepta alienentur, & quod hoc modo quæsitum fuit, communi in ærario adservet atque ad necessitates & commoditates publicas, prout occasio tulerit, eroget. Convenit ergo magis, ut in favorem quorundam ex societate de bonis suis disponat ipse defunctus, quam ut in totius societatis usum, ea relinquat, & hæc demum in favorem aliquorum vel statim post prioris possessoris fata, vel post hæc, prout nimirum ratio eorundem postulaverit, impenderit.

## §. VI.

Si ergo judicetur convenientius esse, ut quibusdam tantum bona relinquuntur, quinam sint præferendi aliis? disquirunt Juris naturæ doctores. *Illust. Dn. THOMAS præter loca GROTIÏ & PUFEND. supra addu-  
Ea. Jurisprud. div. p. 308.* illum quidem succedere debere arbitratur, qui mortis tempore dilectus maxime fuerit, *B. BEYER. delin. Juris div. §. pos. c. 22. n. 54. p. 147.* gentes existimat credidisse industriam magis acui si parta cujusque labore iis, quibus optime cupit, relinquuntur. Nos certe observamus, quatuor potissimum genera dari hominum, qui defuncti hereditatem jure naturæ expectare posse videntur, nempe indigentes, bene de Republica meritos, benefactores atque amicos affectu tales, quibus & adnumerari possunt, sanguine propinqui,

§. VII.



## S. VII.

Vacuas indigentioribus possessiones morte prioris domini facta relin-  
 das esse videri posset. Dum enim Deus intenderit, ut quæ ad conservationem vi-  
 tæ humanæ necessaria sunt, suppetant omnibus, probabile non est, volu-  
 isse illum, ut bona, quæ ad eum referri possunt, & possessorem amplius haud  
 habent, iis accedant, qui jam satis tenent, quod ad necessariam spectat vitam,  
 quin potius existimandam venit, illum voluisse, ut ad eos devolvantur, qui  
 his ipsis ad necessariam sustentationem indigent. Verum id quidem certum  
 est, DEVM omnino voluisse, ut indigentioribus prospiciatur istis, quæ ad  
 vitam sustentandam necessaria sunt, ast ex eo non sequitur, quod voluerit, ut  
 prospiciatur ita, quo quævis a mortuis relicta bona ad eos descendant, atque  
 hoc pacto inopiæ eorum subveniatur. Inquis, concedo: nondum ex eo  
 sequitur; ergo hic solus est modus prospiciendi egenis: Verumtamen est  
 modus, nec ego quidem video ad quos bona transferri possint conveni-  
 entius. Respondeo, apparebit ad alios convenientius adhuc transferri  
 posse, si fundamenta, ex quibus illi Jus aliquod ad defuncti bona prætendunt,  
 excusserimus. Quod si enim relinquenda indigentioribus bona, relinquen-  
 da sane sunt vel iis qui egentissimi putantur in tota societate, vel istis quorum  
 paupertas defuncto maxime fuit cognita. Si egentissimis vero in societate  
 relinquenda veniant, illud testatoris arbitrio vix poterit definiri, cum qui-  
 nam isti sint non facile constet defuncto, sitque adeo Magistratus statuto de-  
 terminandum, id quod tamen supra removimus. Si egentioribus bona  
 sunt relinquenda, iisque, qui quidem cogniti fuerint defuncto tum ex alio ad-  
 huc fundamento in subsidium vocato, non vero ex sola indigentia de hereditate  
 transferenda statim manifestum est. Etenim hoc in casu conjunguntur  
 indigentiores & præ aliis noti, quibusque etiam præter illos benecupimus, adeo-  
 que combinatur indigentia & favor personæ, atque sic ex utroque fundamen-  
 to successor bonorum designatur. Si vero ad istos, quorum nobis perquam  
 cognita est paupertas, possessiones nostræ devolvendæ jam dicentur, fieri cer-  
 te sapius posset, ut ad illos, qui maxime quidem egent, ideo, quod nobis no-

ti haud sint, nihil ex his bonis perveniat, quod ubi fuerit factum, finis profecto egentioribus hereditatis translatione prospiciendi non obtinetur, nec potest erit adeo hicce modus ex hoc fundamento adoptari. Accedit, quod non satis videatur consultum, indigentiores bonorum relictorum hæredes facere, cum hac ratione proxima pluribus daretur occasio, ut de necessariis vitæ labore honesto & opera parandis non multum forent solliciti, quin potius avidè magis essent expectaturi partas ab aliis opes, quam ut ipsi acquirendis illis suæ animi corporisque vires impenderent.

## §. VIII.

Dum vero hac ratione indigentiorum ad bona defunctorum præcipuum Jus exploramus, quale nam sit Jus bene meritorum & merentium de Republica ad bona possessoribus vacua disquirendum erit. Videtur tota superstitum societas ad hoc potissimum obligata, qui & ipsis hocce, dum in vivis erat societas membrum, quo illis potissimum bona post sua fata permittat, quibus plurimum debet societas. Verum ex hoc principio istud quidem sequitur, societatem eorum, quorum insignia conspiciuntur merita, labores egregios compensare quam maxime teneri, aut hoc fieri debere bonis defunctorum ad illos præcise derivatis, nunquam ex eo apte colligitur, namque & præmia pro labore & opera bene merentibus meritisque tribuenda integra potius societas quam unum alterumve membrum in individuo obligatur animusque Viri boni & honesti ad præclara quævis exstimulatur, si a societate integra virtuti præmium statutum intelligat, quam si ab hoc vel illo membro opibus post fata relictis, quod leve reputatur virtutis præmium, sese cumulatam occasione sic ferente deprehendat. Adde quod si testatoris iudicio honorum nuncupandus sit heres, non possit facile debitus ordo teneri, ut ad illum, qui de Republica maxime meritus deprehenditur, bona devolvantur. Neque enim in unius cujusvis potestate situm est, satis judicare, quinam de Republica præprimis atque egregie mereantur, quo facto non quivis successor ex conscientia sua disponere poterit in favorem benemeriti, quem ipse non cognoverit. Quin imò ex sequentibus, si & reliquorum Jus & defuncti bona

na expenderimus, clarius adhuc apparebit, præferendum illud esse juri beneficiorum.

§. IX.

Ordine jam illos, de quibus sermo nobis fuit, excipiunt benefactores & amici, quibus vel maxime bene cupimus, etsi nulla sanguinis propinquitate nobis sint conjuncti. Horum præcipuum ad bona defuncti esse jus, juriq; præferendum indigentiorum beneque de Republica meritorum, ex eo luculenter apparet, quod Juris Naturæ periti multum insident in inveniendis rationibus, quibus Jus propinquorum sanguine, quod firmiter utique esse ipsi nos infra ostendemus, Juri beneficiorum & amicorum præferendum esse, tuentur. Nititur vero beneficiorum & amicorum jus fundamentis potissimum officiorum commoditatis & legibus humanitatis, quæ unicuique imperant atque injungunt, ut vicissim re sua & opera compensare studeat, si quis ipsi re operaque sua profuerit. At primum hic distinguendi veniunt benefactores & amici: Sant illi, qui, si quid nobis gratum est, ipsis non ingratum, exhibuerunt, vel quibus simile quid & sibi ipsis vicissim gratum, dum vivebant, a nobis præstitum fuerit. Quodsi hujus generis actio fuerit, tunc beneficij nomine quidem designanda est, nec post fata nostra in compensationem ejus, quod jam retributum deprehenditur, bona nostra jure quodam suo tales postulare possunt. Si vero nec res nec opera in compensationem reddita fuerit, vicem tamen compensationis sæpe obit affectus animi, honor, nempe reverentia, atque obsequium, quæ beneficia mos consuetus in nobis excitat. Hæc sane alios ad benevola animi judicia & laudes virtutisque beneficiorum nostrorum præconia exstimulant, quibus & ipsorum fama & fortunarum incrementa multum haud raro promoventur. Idem valet huc de amicis, qui non tam re & opera nobis præstita, quam potius similitudine amorum, egregijs animi corporisque virtutibus ut & jucunditate, quam ex consuetudine mutua percipimus, amorem nostrum impetrarunt. Siquidem & his plerumque in vita mutuis officiis satis fecimus, si quid eorum commercio gratum nobis acceptumque præstitum ac declaratum fuit. Et  
 quanquam

quanquam nulla alia re illud ipsum compensaviffemus, ea utique animi voluptas, quam alter quoque ex mutuo percipit amore, loco compensationis foret, qua & illi viciffim gratum quid rependitur. Quam quoque ob causam non est, ut Jure quodam suo bona nostra post fata relicta amoris olim declarati præmia amicus poscat, cujus jam in vita mea fructus percepit. Imo si nullos officiis beneficiisque primum amorem nostrum meruerit amicus, si libera plane propensione nostra in amicorum numerum receptus fuerit, ut præter amoris nostri fructus, quos a nobis vivis tælit, bona quoque indispicatur, nullo iure a nobis efflagitare potest. Accedit, quod non facile de hereditate orituræ lites cum locieratis fructu componi queant, cum, quisnam amicorum & optimus & conjunctissimus fuerit, fere definiti non possit, id quod etiam recte *PUFEND.* monet *l. c.* Quapropter non apparet, relinquenda esse bona nostra benefactoribus & amicis nec bene de Republica meritis atque indigentioribus.

§. X.

Ad ultimam eorum classẽ accedimus, quorum Jus aliquod ad defuncti bona videtur esse, quam quidem sanguine propinqui constituunt. Dicimus vero sanguine propinquos illos omnes, qui de eadem carne per certa speciei humanæ individua generatione naturali propagata participant. Hanc ipsam relationem ex maris & femine congressu oriri res judicatur perquam manifesta ac clara, ita quidem ut parentes & liberi in recta linea hoc nomine veniant. Et fratres sororesque qui communis sanguinis participes habentur, in linea collateralis ita appellentur. Est autem communis Juri Naturæ peritorum sententia, sanguine propinquos in successione in defunctorum bona, reliquis omnibus, quorum Jus aliquod videtur esse, preferendos judicari, adeo, ut ipsa hæc successio, ubi prioris possessoris arbitrio nihil constitutum cernitur, ex legibus obtineat successio ab intestato dicta. Quæ ex ratione *ZIEGLERUS ad GROT. p. 572. edit. BECM.* cognatos quoque, erga quos animo iniquiore conspectus fuit in vita defunctus, intronitendendos in bona defuncti relicta esse statuit. Alii alia etiam suæ sententiæ fundamenta

menta allegant. In genere ad communem propensionem & inclinationem naturalem provocant *PUFEND. J. N. & G. p. 598. & 603.* ad naturam & æquitatem *BOECL. ad GROT. p. 521 edit. BECM.* Quæ vero ita *PUFEND.* explicat, relinquenda videlicet hæc bona esse propinquis, quia hi hocce vinculo arctius ad mutuum amorem mutuaque commoda promovenda obstringantur. Hanc vero rationem dum non solam allegat, sed aliis adjungit, eam non satis rem exhaurire ipse agnoscit ac fatetur. Adde ergo hoc ideo fieri, quod communi quisque feratur propensione, ut familiam, ex qua ortum trahit, velit quam ornatissimam, facereque hoc ad conservandum familiarum censum & perpetuitatem. Annectit denique hanc rationem *PUFEND.* cognatos nempe præferendos utique esse, eo quod sic lites facilius præscindantur, quam quoque rationem cum primis adoptat *Dn. THOMAS. Jurisprud. div. p. 308.* dicendo, bona relinquenda esse propinquis præ amicis, quod non definiti possit, quis fuerit optimus amicus.

## §. XI.

Quenam vero sit propinquorum præ aliis amicis prærogativa in hereditate impetranda, quibusque rationibus ea defendi potissimum possit, apparebit luculentius, si fundamenta expenderit, ex quibus potissimum Jus liberorum, arctissimum propinquitatis gradum constituentium, ad bona defunctorum adstruitur. Gradum propinquitatis certe maximum esse, quem constituunt liberi, sole meridiano judicatur clarius, cum de eodem parentum sanguine participant, e contra vero collaterales, si ad invicem referantur, hac ratione ejusdem sanguinis participes haud sint. Quare etiam Juris Naturæ interpretes, propinquos omnibus amicis præferendos esse statuentes, primo statim loco omnes inter propinquos hereditatem ad liberos devolvendam pro vero agnoscunt, quoniam primus horum propinquitatis gradus sit, *vid. PUFEND. L. 4. c. 11. §. 3. BOECL. ad GROT. l. c. §. 9. 10. 11.*

D

PARS

## PARS III.

## §. I.

**J**am ergo declarandum a nobis est, ubi ad propinquorum classem pervenimus, hanc liberorum esse prerogativam, ut parentes potissimum obligentur, iis sua post fata bona relinquere. Plurimi Juris Naturæ Doctores cum *BOEGL. ad GROT. p. 521.* hocce argumentum facile expediunt, naturam atque æquitatem ostendere dicentes, bona relicta præ aliis ad liberos esse transmittenda. Alii vero asserendo hoc ipsum fieri, rem ita exponunt, ut alimenta ob *εγγυνη* liberis a parentibus deberi firmiter existiment. *Vid. Illustr. Dn. THOMAS. Jurisprud. div. p. 309. Magnif. Dr. BUDDEUS Theol. moral. p. 525.*

## §. II.

Primum vero quod in hoc argumento excutiendum venit momentum, hoc est an parentes reliquis omnibus possit habitis, ex bonis suis tantum relinquere liberis teneantur, quantum ad alimenta eorum requiritur. Hanc ipsam vero quæstionem resolvantes primo loco quærimus: num parentes, ubi sua quidem opera liberi alimenta comparare hand sibi possunt, obligentur, id ipsum ex bonis post fata super futuris relinquere? Quo in argumento pertractando atque expediendo totum negotium eo redit, ut quid ex parentum officio de alimentis liberis præbendis statuendum sit, luminis naturæ ductu expendatur. Eam autem deprehendimus sane esse supremi rerum arbitri voluntatem, ut illi, qui se ipsos conservare neutiquam possunt, ope aliorum conserventur. Jam vero in superioribus satis a nobis evictum putamus, parentum præcipuam obligationem esse, ut liberos, qui se conservare nequeunt, conservandos curent, eosque in Reipublicæ usum educare studeant. *Conf. Excell. Dn. RECHENB. inst. Jurisprud. nat. p. 265.* Huic ergo maxime confine est, ut si illi morte impediti sua quidem opera nec liberorum vitam conservare, neque in societatis utilitatem eosdem educare possint, nullo non tempore, quantum in se est curent ac pro-

spi-

spiciant, quo fiat aliorum opera illud, quod ab ipsis ob factorum legem fieri nequit. Quoties ergo facultatibus suis post obitum relictis & vitam liberorum sustentare, & ad virtutem honestatemque in societatis humanæ comoda promovere illos possunt, nihil omnino in hac rerum machina datur, ad quod eorum bona post fata remanentia melius atque convenientius possit relinqui, quam hæc ipsa liberorum sustentatio honestæque educatio.

§. III.

In eo quidem consentiunt Viri Eruditi, alimenta utique liberis, & quæ propter hæc necessaria putantur, primario relinquenda esse: at vero in eo *GROTIUS* & *PUFEND.* discrepant, quod *GROTIUS* de *J. B. & P. lib. 2. c. 7. §. 4.* non ex Justitia expletrice, quæ in eo consistit ut expleatur & satisfiat cuique pro eo, quod ab illo accepimus, sed ex Justitia attributrice, vel ea ex obligatione, quæ non nisi inhoneste omitti potest, hoc deducat. *PUFEND.* autem ad *GROT. p. 524. item de J. N. & G. Lib. 4. c. 11. §. 4.* ex Jure expletorio idem parentum officium evincat. Scilicet Grotius quique eum sequuntur in hac versantur sententia, competere neutquam liberis Jus ab invitis parentibus alimenta exigendi, perfectamque obligationem ex lege demum humana accedente proficisci. Qua in re rectissime illum confutavit Pufend. cujus quoque sententiæ calculum adjicimus nostrum. Hac vero ratione totum rei demonstramus argumentum: Deus vult homines generari, adeoque etiam cupit genitos semel conservari: Geniti non possunt se ipsos conservare, quam primum quidem conspiciuntur geniti, duranteque etiam insuper infantie suæ statu: Ergo *DEUS* sapientissime intendit, ut aliorum opera conserventur: aut conservari utique possunt, vel eorum qui generarunt eos, vel aliorum, qui non generarunt opera; sed alii ut plerimum, adeo apti non sunt ad hoc ipsum negotium subeundum, id quod supra satis superque ostendimus, ubi matrem, quæ factum enixa, illis maxime ab ipsa natura, quibus conservatione eisdem succurritur, stimulisque naturalibus ad illud instructam observavimus. Pergimus ergo ita argu-

umentando fidatur actio, qua explendus est DEI finis absolutus, illaque aliorum opera necessario promovenda est, ad eam certe promovendam obligatur illi maxime, qui huiusmodi mediis ita instructi sunt, ut si ipse hanc in se se suscipere actionem detrectent, finis a Deo intentus plerumque vel plane non vel non satis apte obtineri possit. Jam vero hic est ipse casus matris, quæ alimenta infanti commodissime præbere valet, ipsius infantis hisce ita indigentis: Proinde enasci Jus aliquod liberorum exigendi a matre illud, quod jam ex obligatione perfecta & vi Justitiæ expleticis liberis debetur, in aprico est. Quod si autem idem officium ab aliis æque commode præstari queat, tum ex fundamentis semel adductis matri non minus incumbit, ut huius ipsius negotii præ aliis curam sollicitè gerat, quo illud ab alia nutrice infanti fistatur ac præstetur.

## §. IV

Inquis: recte quidem adstruxisti atque evicisti, obligari matrem, ut ceteris paribus infanti recens nato alimenta suppeditet, quæ ipsa natura hunc in finem uberrime subministravit: Verum enim vero evincendum potius putarem, matrem quoque & patrem simul obligari, ut de alimentis illis, quæ & aliorum opera parari queunt suo labore quæsitis omni illo tempore prospiciant liberis quos quidem suis viribus ea quæ ad vitam sustentandam apta atque utilia sunt, liberi nondum acquirere sibi possunt. Sed ad hanc quæstionem excutiendam ut accedamus propius, merito & quod quoque verissimum, supponimus, etiam infantes, dum lacte materno haud amplius nutriuntur, se ipsos ulterius haud sustentare & vitam a DEO concessam peragere posse. Vere in simul supponitur, parentes lacte materno infantibus depulsis inter omnes alios socios stimulis vehementissimis incitari ad vitam liberorum suorum conservandam. Quotiescunque ergo ipsi præ aliis præditi sunt temporalibus facultatibus, quibus liberi ali atque sustentari queant, vi ac beneficio eorundem ratiociniorum in præcedentibus jam indicatorum fluit, velle DEVM, ut alimenta conquirant parentes, quibus illi quamdiu se ipsos alere non possunt, nutriantur & conserventur.

## §. V.



§. V.

Nec ab hac ipsa obligatione immunes esse poterunt parentes, licet alios reperiri videant, quibus plures suppetant facultates ad alendos liberos. Quippe quoties tantum ipsis est facultatum, quantum ad sui ipsius sustentationem atque infimul liberorum nutritionem requiritur quantumque satis putant, toties illi præ aliis quoque obligantur, etsi existant alii, qui opibus, quæ quidem ad sustentandos liberos adhiberi possunt, magis abundant. Etenim parentes nihilo minus liberis suis alendis aptiores, quam alios esse rectissime judicatur, quoniam ad hanc aptitudinem, non sola opum, quibus alimenta paranda veniunt, abundantia requiritur, sed animus etiam, qui molestias illas, quæ in sustentandis educandisque liberis, suscipiendæ ac ferendæ sunt, prompte & alacriter subeat. Namque hic si desit animus, etsi magna eorum adsit copia quæ sustentandis liberis inservire possunt eadem tamen non tam prompta atque labeati mente his ipsis impenduntur. Sunt igitur præ aliis ad liberos sustentandos aptissimi, quibus non solum tantæ facultates sunt, quantæ sufficiunt, sed qui etiam stimulis insuper naturalibus potissimum incitantur, ut eos quidem sumtus, qui requiruntur, facillimo animo suppeditent, neque ullis hac in re molestiis impediuntur. Id quod in parentes quam optime derivatur, quibus facultatum ad semet ipsos sustentandos suosque liberos alendos & nutriendos satis est, ex quibus etiam cunctis obligatio eorum ad hoc ipsum officium utique dependet.

§. VI.

Satis superque igitur cum declaratum atque perspectum sit, parentes præ aliis obligari ad liberorum vitam curandam & sustentandam, nemini obsecrum esse posse arbitramur, ejus generis sustentationem atque curam a nobis intelligi, qua non tantum vita eorum naturalis servatur, sed qua etiam ad vitam ex rationis dictamine agendam, imo Christianam si sanctissima religio- nis nostræ statuta sequentes hæc consideramus, liberi instituuntur. Imo manifesto constat, illam quoque hic intelligi sustentationem, qua honesto vite generi, artibusque istis, quibus societati humanæ opera sua aliquando rite ac pruden-

prudenter inservire possint, liberi consecrantur atque admoventur. Neque enim DEVS tantum conservare vult homines, dum liberorum conservacionem serio intendit, sed tales etiam qui sana sua ratione ab ipso omnipotenter atque sapienter concessa, qua quidem homines sumus, recte uti debent. Nec illos, quos conservari vult inutilia terræ pondera esse, sed tales profecto cupit, qui laudabili opera honestisque laboribus, non solum societatum humanarum commoda promoveant, sed & qui æternam tandem aliquando salutem, quam sacræ paginæ luculentissime demonstrant, recte consequantur. Quare hanc ob rationem parentes etiam obligantur, ut omnia illa suppeditent, atque curent, quæ quidem hoc modo sustentandis educandisque liberis inserviunt, iisque emolumento sunt. Ex quo illud fluere videmus, quod ad omnes illos sumtus impendendos obligentur, quibuscunque vita liberorum rationalis, civilis & christiana bene influit inique Dei gloriam recte dirigi possit. Porro & illud inde deducere convenit, quod quotiescunque parentes non tantum sumtibus suis, sed & ipsa sua opera juvare hac ex parte melius & felicius quam alii, liberos suos possunt, ad eandem in hoc negotio collocandam, ipsimet ceteris paribus potissimum obstringantur. Contra vero ñdem etiam firmissimo obligationis vinculo tenentur, ut quoties hac vel illa parte alios hocce officio melius atque præclarius defungi posse videant, aliis quoque hoc in casu illud ipsum committant, operam eorum alia etiam ratione compensantes.

## §. VII.

Si vero parentes impetu ab ipsa quidem natura indito ad liberos sustentandos educandosque strenue urgeantur, neque tamen satis facultatum possideant educandi illos, utrum & in hoc casu ad alimenta illis præbenda obligentur, quæri non immerito potest? Neminem ultra posse obligari dudum jam in proverbium abiit, unde quoque clarum atque evidens est, parentes liberis suis, quod ipsi non habent, haud dare posse. Interim tamen res nondum confecta videtur, quod ab omni obligatione statim immunes sint, ea quæ ad honestam liberorum sustentationem spectant eurandi. Quoties enim illa defunt, quæ ad liberorum educationem statuuntur & requiruntur

tur, toties parentes sane obligantur, ut majori animi contentione in id subinde incumbant, quo indefesso labore & opera sua acquirant, quæ liberis hac ratione inservire queunt. Ea vero, quæ hoc pacto parare neutiquam valent, ab aliis petere utique convenit, quos facile suis necessitatibus subventuros cognoscunt. Cum enim tum temporis, ubi opibus se destitutos plane cernunt, haud quaquam stimulus naturæ cesset vehementissimus genitos semel liberos educandi, ipsique parentes nihilominus aptissimi judicentur atque habeantur, conservationis & educationis curam suscipiendi, & in hoc casu eos obligari certissimum est. Quippe licet eas aliquando opes non teneant, quæ quidem ad id requiruntur, nihilo tamen minus putantur aptissimi, si opes sufficientes suo tempore nacti fuerint, eas in usum educationis liberorum dispensandi. Quid quod? optime norunt parentes corporis animique vires, liberorum defectus, affectus, mores, poterunt ergo, in educandis illis eo potissimum quoque animum intendere, ut hac ex parte liberi adjuventur eminentur, & quod vel maxime convenit, alimentis necessariis sustententur. Quicquid vero sit de parentibus indigentioribus, qui destituuntur iis, quæ ad sustentationem atque educationem liberorum sufficere possunt, hoc tamen certissimum opinamur, illos obligari, ut ad honestam eorum sustentationem conferant ea omnia, quæ pro facultatum suarum modulo conferre atque impendere queunt.

§. VIII.

Excipis forte, nondum video demonstratam illam parentum obligationem, qua sua quoque post fata relinquere liberis tenentur ea, quæ honestæ eorum educationi necessaria judicantur. Verum nunc facilius erit via demonstrandi quoque hæc, præsuppositis semel illis, quæ jam in antecedentibus evicta fuere. Ostemum ac demonstratum fuit, vivos adhuc parentes ad honestam liberorum sustentationem atque educationem obligari. Eadem vero necessitatis ratio est hujus ipsius sustentationis, quando parentes vitam cum morte commutarunt: idem quoque parentum per totam vitam existit stimulus, quo fortissime impelluntur votis ardentissimis optandi

ptandi atque expetendi, ut liberi post suum etiam obitum recte conserventur, educentur, atque insituantur. Et licet parentes demortui sua quidem opera liberorum sustentationem, educationem atque insitutionem juvare ac promoveri nequeant, neque adeo ex hoc fundamento, quod sic egregie liberis prospicere facultate gaudeant, obligatio deduci possit; nihilominus tamen ad opes, quæ supermanent in liberorum sustentationem educationem atque insitutionem postmortem relinquendas, obligantur. Nulla enim existat occasio, cui parentum opes commodius post eorum fata impendi possint, quam illa ipsa, cui quidem si superstites tum temporis fuissent, eas impendissent, & cui etiam ut impenderentur votis omnibus, in vita sua desiderarunt. In hoc vero casu æquis quæso dubitaret, Deum velle, ut opes relictæ illi destinentur fini, qui & voluntati ejus maxime convenit & humane societati perquam utilis est, qui quoque hacce via commodissime obtineri potest, & ad quem obtinendum parentes ab ipsa natura validissime stimulantur. Est enim quis statuere possit, ut liber ita relictus ex ærario publico aleretur, cui omnes demortuorum facultates hac de causa inferendæ forent. Supra tamen uberius demonstratum est, quod si omnes opes in unam massam conjicerentur atque ita dispensarentur, multum imminuatur possessorum cupiditas bona sollicitè conservandi, augendi atque in usus aliorum vertendi.

#### §. IX.

Res igitur confecta videtur esse de alimentis liberis a parentibus relinquendis ad illud usque tempus, donec sua opera ipsi quæ ad honestam sustentationem faciunt, acquirere valent. Verum num illo in casu parentes, ubi liberi semetipsos sustentare atque alere queunt, relinquere aliquid teneantur, quæri certe posset. Insitui etiam in genere posset quæstio, utrum parentes obligentur, & an hæc obligatio ex Jure naturæ deduci queat, ea, quæ ad commoditatem liberorum tantummodo pertinent, in eos quoque post obitum suum exclusis aliis & indigentioribus & benefactoribus transferendi. Luculenter satis apparet quæstionem hic proponi de illo casu, ubi quæ-

quicquid facultatum superest, excedit impensas futuras alimentorum, quæ honestæ sustentationi liberorum relictorum, quamdiu nimirum ipsos se sustentare haud poterunt, admovendæ & vendicandæ erant. Ubi enim quicquid relictum fuerit, huic sustentationi necessario impendendum est, frustra sane de iis, quæ ad commoditatem referuntur, quæreretur. Duplici autem modo quæstio formari potest, nimirum num licite hoc a parentibus fieri possit, & an ex legis naturæ præscripto fieri illud debeat. Licite hoc profecto fieri posse existimat: *P. V. F. E. N. D. J. N. & G. L. 4. c. 11. §. 7. p. 590.* Idem tamen haud obscure *l. c. p. 589. & 590.* hæc non ex diserto aliquo præcepto Juris Naturalis liberis deberi, qui jam sibi ipsis prospicere possunt, ratiocinatur. Unde etiam postquam satis visus est liberis suis prospexisse parens, haud quicquam prohiberi arbitratur, quominus bonis suis utatur ad gratum animum, aut liberalitatem exercendam, licet ideo minus ad liberos ipsius sit perventurum. Eodem abeunt, quæ *GROTIUS* habet de *J. B. & P. L. 2. c. 7. §. 4. p. 279. edit. Gron.* dum inquit: legitima humanis legibus tolli non potest, quatenus scilicet in legitima insunt alimenta necessaria, nam quod supra est, tolli potest, non repugnante natura. De Successione ab intestato vero *c. 7. §. 11. p. 287.* ita differit: Hæc quæ diximus quamquam naturali conjecturæ, maxime sunt consentanea, non sunt tamen Jure Naturæ necessaria ac proinde ex diversis causis voluntatem humanam in eventibus variare solent. *Conf. not. ZIEGLER, ad GROT. p. 525. edit. BECM. B. BEYER. del. Jurisprud. div. p. 150. & 168.* Atque ab hac quoque sententia haud alienus, *Celeberr. Dn. RUDIG. noster in in. inst. philos. syntb. L. 2. tract. 2. de Jure Nat. p. 587.* ita differendo: ante omnia prospiciendum est liberis, hi, si educati sint, pauperibus.

## §. X.

At vero ultra licitum parentum hac in parte obligationem extendere utique videntur illi Juris Naturæ Doctores, qui ad æquitatem naturalem, quæ liberos parentum heredes esse velit, provocant, *vid. BOECL. ad GROT.*

E

p. 527.

p. 527. *Magnif. Dn. BVDIIEV Stheol. moral. edit. nov. p. 534.* Imo ad ipsa scripturæ sacræ dicta provocat quo ex illis sententiam stabiliant ac firment, quod Jus liberorum ad bona defunctorum parentum ipso Deo iudice, fundamento æquitatis naturalis innitatur. Adducunt quippe expressum Dei institutum, quo non filios tantum, sed ipsas etiam filias in possessiones parentum intromittendas esse imperat. Id quod ex filiorum Zelaphehad patet exemplo. *Num. 27. v. 8. seqq.* Verum ex hoc quidem loco illud tantum argumenti deducitur, rem licitam esse, ut liberi in possessionem parentum tanquam heredes immittantur. Neque enim firmo stat talo Deus populo Israelitico hocce statutum dedit, ergo id omnibus hominibus præceptum quoque voluit. Etenim manifestum satis est, hanc ipsam legem pertinere ad leges forenses, quarum ex indole politicæ Judaicæ peculiari rationes erant, omnibus quidem Rerum publicarum formis haud applicandæ. Neque ex hoc quidem loco asserere possumus, Juris Naturæ præceptum esse istud institutum, si etiam omnes hoc præcepto obligari Deus voluerit. Nec firmius quidem fundamentum sententiæ hinc adstruendæ subterni poterit, si loca Novi Testamenti insuper in subsidium vocentur. *Rom. 8. v. 17. ad Gal. 4. v. 1. 5. 7.* In quibus præsupposito hoc principio tanquam omnibus noto, liberos nempe parentum heredes, thesis adducitur, quod fideles dum sunt Dei filii, heredes quoque Dei sint. *Ad 2. Cor. 12. v. 14.* Etsi in his locis tanquam commune omnibusque notum principium supponatur, liberos esse parentum heredes, nondum tamen manifeste apparet, an hoc ipsum principium tanquam Juris naturæ præceptum, an vero tanquam legem Juris Romani ubique tum receptam atque omnibus ex praxi perpetua cognitam supposuerit Apostolus. Quod si enim hoc fecerit, nullum quidem argumentum inde peti potest, Juris Naturæ præceptum esse, quod liberos constituit parentum heredes. vide hæc quosque exequentem, *SAM. STRYCK. tract. de success. ab intest. diss. 10. c. 1. §. 1. 5. 4.*

## S. XI.

Aliam promde viam ingressi sunt alii, qui non tantum licite, sed ex ætate qui-

quitate etiam naturali, quæ ultra licitum exsurgit atque se extendit, bona parentum defunctorum in liberos superstites transferenda esse judicant, Neque tamen hi de eo satis conveniunt, cuinam argumento robor potissimum tribuant. Plerique conjungunt plura, quo virtute unita & numeris argumentorum rem tueantur. *GROTIUS* quidem *J. B. & P. L. 5. c. 7. §. 5. p. 250.* etiam citra auxilium legis civilis primam bonorum successio- nem liberis deferri dicit, ut corporis sui partibus, non tantum de necessa- riis, sed & de his, quæ ad vitam suavius honestiusque transigendam perti- nent, quam uberrime voluisse prospectum, ab eo maxime tempore, quo ipsi rebus suis frui non possent. *Id. l. c. veterum Jure Consultorum in me- dium ducit loca, qui rationem naturalem, quasi legem quondam tacitam liberis parentum hereditatem addicere perhibuerunt PUFEND. J. N. & G. 4. c. 11. §. 1.* naturalem inclinationem, officium & consensum gentium conjungit: Inclinationem quidem naturalem ferri regulariter eo dicens, ut nostra opera quam proximissime prospectum cupiamus, iis, qui ex nobis descendunt, utque familias nostras quam maxime florere velimus. Inter officia vero hoc esse judicat, ut illis prospiciamus, quorum curam natura nobis peculiariter injunxit. Dum vero ad sententiam suam de Jure liberorum ad ea, quæ alimenta excedunt ibidem §. 7. p. 590. proferendam se ac- cingit, hæc quidem liberis deberi existimat non tam ex deserto aliquo præ- cepto Juris naturalis, quam quia communiter nemini lautius prospectum volunt parentes, quam ex sese genitis, vid. rem in compendio, *in Libr. d. O. H. & C. L. 1. c. 12. §. 10. & n. B. BEYER. de lin. Juris div. nat. & pos. a. 22. §. 65. p. 148.* meliorem memoriæ conservationem præsumtæ parentum voluntatis causam esse statuit hisce verbis: propter liberos acquisita po- tissimum censentur bona, ut nominis paterni memoria diutius & splendi- dius duret. Eadem fere habet *WILLENB. dissert. de Exhered. p. 1.*

## S. XII.

Inter hos proximum rei monumentum tetigit certe *PUFEND.* qui sti- mulum naturalem atque rationem conjungit, operæ tamen pretium hic duci-  
anus.

mus, ut paulo fufius declarem rem. Primo ergo ex eius fententia obligati videntur parentes ad ea quoque, quæ ad vitæ comoditatem tendunt, liberis etiam, dum fe ipfos queunt fufcitare, relinquenda, ideo quod ftimulo naturali incitentur, ut illis etiam quam optime ac lautiffime profpectum velint. Huncce ftimulum regulariter in parentibus deprehendi in aperto eft, quantumvis fi gradus attenduntur vel propter temperamenti parentum diverfitatem vel ob alias caufas morales in quibusdam minor fit. Namque illi caufus nos haud moranter, in quibus ftimulus ifte naturalis per alium ftimulum naturalem vehementius irritatum vel impeditur vel fupprimitur, quod fane accidit in matre infanticida cupiditate honoris ac famæ fuæ tuendæ eo abrepta, ut ab infantis nece manus truculentas haudquaquam abftineat. Quandoquidem & in hoc cafu certo certius eft, reluctantes amoris naturalis ftimulos, dum etiam mater tygride favior illos fupprimit, ab ea fentiri. His vero fatis fuperque innui iudicamus, inditos a natura tales efle ftimulos, quibus & ipfa animantia bruta ad alimenta fœtui fuo præbenda incitantur, quam in rem videri etiam poteft *GROTIUS lib. 2. c. 7. p. 278. edir. Gron. ut & BOECL. ad GROT. p. 524. edir. BECM.*

## §. XIII.

Verum ais: concedo parentes ftimulo naturali ferri eo, ut quam optime velint profpectum liberis fuïs: at num inde quoque fequitur, ergo ad id faciendum quoque obligantur? Qualis hæc confequentia? incitatur atque urgemur ad hoc vel illud ftimulo naturali, ergo ad id faciendum obligamur? recte mones, quo nexus ratio declaretur, quomodo hæc, urgeri nempe ad aliquid ftimulo naturali atque ad idem faciendum obligari, fibi invicem fubordinentur. Ratio dubitandi qua quidem detineris non obfcure apparebit: Scilicet arbitraris, ftimulum naturalem, qui jam in hominibus corruptus atque inordinatus exiftit, nunquam poffe normæ loco actionibus noftris fubfervi. Quo itaque luculenter pateat, qualis ftimulus naturalis & quibus cafibus obligationem producere poffit, ac quomodi *σέπη* parentum huic pertineat & obligationem pariat, fequentia accipias velim. Primo qui-



quidem loco stimulum naturalem appellamus modum facultatis appetitivæ, quò absque iudicio intellectus aliquid vel appetimus vel averſamur, naturæ converſandæ gratia inditus. Huiusque generis sunt amor proprius, libido & *σοφῆ* quos *Celeberr. Dn. RVDIGER, nosſer Phyloſ. Synth. p. 451. edit. nov.* cupiditates animales, reliquas vero humanas, amorem ſocialem atque amorem veritatis nuncupat. Eſſe hæc cupiditates ab ipſo DEO naturæ inditas imprimis probandum venit. Quodſi enim, quicquid ad hos cupiditates ſpectat ex corrupta natura ortum trahat, nunquam a nobis fieri debere, ad quò ſtimulus huiusmodi impellit, manifeſtum eſt. Si vero in ejuſmodi cupiditatibus inveniatur quid, quod eſt a DEO, at ipſi etiam inſuper quædam vitioſitas, quæ quidem ex labe naturæ contracta eſt, inhæreat, criteria certe erunt ſuppeditanda, ex quibus a DEO, quidque a natura corrupta originem trahat, iudicari poſſit. Tum demum quæſtio inſtitui ac formari poterit, quousque huiusmodi inſtinctus naturalis fundamentum aliquod obligationis eſſe queat. Ne igitur hocce argumentum ultra illud, quod ſcopi noſtri a nobis exigat rationem, extendiſſe videamur, in ipſa hypotheſi de *σοφῆ* rem exequentemur. Oritur vero talis *σοφῆ* vel cupiditas, qua parentes ad commodam ſuæ ſobolis conſervationem ſeruntur & inſtigantur, non omnino a corrupta natura, quin potius ab ipſo DEO. Namque in ea haud quicquam deprehenditur, quod legibus divinis ex natura cognitæ repugnet, ſed finis ab ipſo DEO intentus conſervatio videlicet individuorum totius generis humani hæc potius ratione quam optime iuvatur & promovetur. Quare iuſtaſſus eorum eſt labor, qui ſtimulum huius *σοφῆ*, in ſe ſpectatæ, peccati arguere haud erubescunt. Inſuper etiam fundamenta adſunt, illum etiam naturæ humanæ tum adhuc integræ ab ipſo Deo in prima creatione inditum fuiſſe, ratioque latet in eo, quod ad ipſum Dei finem obtinendum ex ſua natura collineat, inque omnibus hominibus etiam extra determinationem voluntatis ex iudicio intellectus ortam reperiatur. Quanquam itaque naturalis hæc *σοφῆ* parentum, uti naturæ humanæ vires, labe ſua inquinata ſit, quod liquido ſatis apparet ex illa parentum con-

fvetudine, qua saepe etiam liberorum delicta probant, eosque perversa indulgentia in societatis damnum educant; nihilominus tamen stimulus hic naturalis non profus corruptus iudicatur, id quod ex precedentibus clarissime constat. De eo igitur hic queritur, quousque illud, quod in hoc stimulo rectum atque ab ipso Deo est, normæ locum, ad quam actiones nostræ dirigantur atque instituantur, obtinere possit. Hoc extra omnem dubitationis aleam positum est, quod cum stimulus a DEO naturæ inditus sit, propter certum finem quoque inditus fuerit, quoniam Ens sapientissimum nihil frustra agat faciatque. Si itaque certo sine inditus fuit, proximus utique istius stimuli putatur, ut actu ipso exercere sese debeat. Hoc vero ejus exercitium DEO haud potest esse adversum, cum sponte sequatur neque per rationis iudicia profus extingatur. Quia vero alias ad tria nominis bona, vitam putaveritatem, virtutem, atque ex illa consequentem animi tranquillitatem, cuncta referantur; DEVS quoque stimuli hujus exercitium eo retulisse merito existimandus est. Quoties igitur modus aliquis non tantum licitus, verum etiam ad Dei fines supra indigitatos promovendos aptus sane est, toties illud ipsum non solum licite fieri posse, verum in posteriori etiam casu a nobis faciendum esse, persuasi certo sumus. Jam ergo tibi casum fiste, quo parentes naturali *εὐθυμῶν* ad ea etiam incitantur, quæ vitæ commoditatem referunt, liberis suis post fata relinquenda. Sentis & habes utique inclinationem, facultates quarum es legitimus possessor, aliis relinquere, qui in societatis utilitatem Deique gloriam iis uti queant, nulli quidem repugnat legi: Juro non tantum non contrariatur legibus, verum etiam ad fines DEI promovendos pertinet atque conducit. Sic enim liberi, quorum peculia rem curam parentibus ipsa natura injunxisse videtur, si majores his facultates præsto sint, difficultates, quæ studium veritatis virtutisque impediunt, facilius superare possunt. Proinde ex hoc iudicatu erit per quam facile, num ea quæ ad vitæ commoditatem spectant, a parentibus in liberos derivanda sint, cum tali stimulo naturali, quem delineavimus, hæc illud impellantur. Sed in his porro: Rem quidem capio: video aliquam parentum esse obligationem ad commoditatem liberorum etiam post mortem promovendam, at

sentio

sentio in simul hanc ipsam obligationem demonstrari non tam ex parentum stimulo in se spectato, quo ad id feruntur, quam ex rationibus, quæ rei convenientiam sistunt. Respondeo: concedo facili ac æquo animo, quod DEVS rationem homini dederit, qua cetera nobiliore a brutis animantibus distinguitur, non quidem stimuli impetum, sed recta rationis de convenientia actionis judicia normæ loco esse voluerit. Concedo, quod etiam in illo casu, ubi stimulus rectis rationis judiciis congruus est, normæ tamen loco non tam stimulus, quam potius rectum rationis iudicium sequendum sit. Interim id quoque tibi, ut mihi concedas, incumbit, etiamsi stimulus hic in se spectetur, quoties in illo deprehenditur nihil quod legibus naturæ cognitis repugnet, rationem tamen judicare, sequendum potius esse illum, quam quidem deserendum. Quod si enim hanc impetum a Deo ipso proficisci cognoscit, eo quod ad finem ejus promovendum tandem experitur, non tantum hoc licite fieri iudicat, sed ex voluntate etiam divina alteri præferendum esse concludit. Quippe quo indicaretur esse licitum, indifferentia stimuli vel inalienatio vel aversatio pari inter se æqualitate gaudentes sufficiebant.

§. XIV.

Hæc autem res evolvi ac expediri potest facilius, cum non tantum ex natura naturali cogere argumentari valeamus sed rationes illæ insuper, ex quibus ope vaticiniorum inde deductorum obligatio declarari possit, adsint. Hæc enim satis indicant atque ostendunt, stimulum hunc esse illicitum, sed rectæ rationi convenientem, voluntatisque divinæ indicem. Verum enim vero hæc inter rationes non magni momenti videtur esse illa quam B. BEYER & WILLENB. supra citati adduxerunt, qua parentum bona liberis relinquenda adstruitur, eo quod per liberos memoria parentum conservetur, & bona ideo potissimum ab illis acquisita ceaseantur, quo paterni nominis memoria splendidius duret. Quantumvis enim parentum memoria relictos conservaretur liberos, dum certe alii prolem ex illis genitam intuentes, virtutum, meritorum in Reipublicam, satorumque eorum recordarentur, opes tamen liberis relicte parum huic conferre videntur, siquidem ad illam conservandam

vandam virtutes liberorum maximæ conspicuæ nec non suscepti egregii labores, meritaque in Republicam plus conferunt, quam divitiæ illis relictæ. Namque hæc lautioris magis parentum fortis, non vero virtutis eorum sunt indices. Exigua vero admodum videtur esse obligatio ut quis omnibus eo annitatur viribus, quo fortunæ benignioris, qua in vita fruebatur olim, memoria diutius conservetur. Ad hæc tamen responderi facillime posset, honestam parentum, dum in vivis erant, conservationem probabili magis ratione innotescere ex lautiori vitæ conditione, quam hereditas amplior liberis declararet. Verum toties fallere hanc ipsam rationem quoties veritati congruit, extra controversiam positum est. Rectius dici posset, ampliore hereditate in liberos derivata, melius conservari posse honestam parentum memoriam, cum sic facilior commodiorque virtutis studium consecrandi, tuamque operam Reipublicæ usibus exhibendi sternatur via. Hoc autem factum per liberos egregiam Reipublicæ operam subeuntes, parentum defunctorum sane existimationi melius consulitur, quam si facultatibus destituti liberi in societatum humanarum utilitatem non satis recte eniti possint. Verum licet hæc non plane falsitatis cujusdam sint arguenda, rem tamen haud proxime tangunt, sed per ambages eo demum reducenda veniunt. Quippe hominis obligatio ad quærendam diuturniorem nominis post fata memoriam, consequens tantum alius obligationis, atque adeo secundaria. Quoniam nempe benigna aliorum judicia, quæ post fata etiam retinemus, nullis usibus inserviunt, nisi ut ad si. nile virtutis studium excitentur alii, divinæque providentiæ extent documentum, eo tantum pro viribus allaborare debemus, ut virtutis studio honestam nominis mereamus memoriam. Primario ergo obligamur, ut virtutem sectemur, honestisque laboribus Deo & Reipublicæ inserviamus. Hoc si rite observemus, digni profecto judicamur atque habemur honestis laudum præconiis, quæ si ab aliis obtinemus, consequitur id, quod ex iusto meritis nostris debetur. Si illa vero non obtinemus, non est propterea objiciendum virtutis studium, cum non ad summam tanquam finem ultimum, sed ad Dei voluntatem, ejusque legem actiones nostræ referendæ sint.

Quam obrem ex alia potius ratione deducendum est parentum officium, ea liberis etiam, quæ ad commoditatem pertinent, relinquendi. Videlicet hæc liberis relinquenda statuuntur, quoniam plura & commodiora sic illis suggeruntur atque conferuntur, quibus Reipublicæ se utiles cives reddere, omnemque operam ad ejus utilitatem majore ac feliciori cum successu transferre possunt. Ad hæc vero parentes merito obligantur, ideo, quod ad ea, quæ liberis vere commoda deprehenduntur, ante alios præstanda obligantur. Quod vero ita obligentur liberis, ex eo deducit PUFENDORFII FIUS quod liberorum nobis peculiariter injunxerit natura curam. Superponimus hand absque ratione ac fundamento, ea quæ ad commoditatem spectant a parentibus liberis relicta, viam faciliorem sternere rebus præstantioribus operam vindicandi ac consecrandi, in illis feliciori successu progrediendi, atque in usus quoque societatis exponendi & convertendi. Quia & ipsa rerum Magistra experientia confirmat, quod præstantissima sæpe ingenia eo quod fortunæ benignioris subsidiis hand leviter destituuntur, a conaminibus egregiis ac salutaribus vel plane avertantur, vel in studio, quod decurrunt, impediuntur & denique supprimantur. Neque vero hic occidendum nobis erit illud Abdolonimi apud CURTIUM: Disciplinam paupertate Magistra stare, ampliorem a parentibus relictam hereditatem desidia, superbia, luxus denique & licentiæ omnis fomitem esse: cum contra ingenia hæc minus stipata, suæ virtuti, labori, Deique providentiæ confisa felicis enitantur atque amplificentur. Quanquam enim hereditas parentum, quæ & commoditati sufficit magnum satis & periculosum licentiæ sit irritamentum, ex ea tamen pernicies redundat nulla, nisi quæ ex accidente enascitur atque ex perverso minusque prudenti bonorum paternorum usu & administratione oritur. Licet vero inficias hand ire queamus, hunc ipsum abusum propter corrupta hominum ingenia, debito rectoque usu frequentiore esse, nondum tamen exinde sequitur, ea, quæ ad vitæ commoditatem referri queunt, a parentibus in liberos derivanda hand esse. Siquidem ea,

F

quæ

quæ ex sua natura ad fines Dei promovendos apta atque congrua sunt, ab hoc vel illo intermitteri nequiquam possunt, etsi major ab utentium istis sit numerus, nisi de hoc præcise individuo vel demonstrativa vel probabili ratione satis constet, fore ut certo abusurum sit istis bonis. Quam ob causam ex hoc fundamento parentes ab obligatione, liberis ea, quæ ad commoditatem pertinent, relinquenda non liberantur.

## §. XVI.

Subsistit igitur hæc nostra opinio, dummodo parentum obligatio, qua ad liberos aliis omnibus in hoc genere præferendos obstringi nobis videntur, adstructa satis firmataque fuerit. Mentionem hujus thesæ adjecimus statim sub nostræ dissertationis initium §. 2. atque ea, quæ ad illam illustrandam spectant & conducunt, hinc & inde excussa putamus, dum parentes ante alios omnes ad plura liberis præstanda, obligari, quantum in viribus, ostendimus, atque ex eo quidem fundamento, quod ad omnia illa exhibenda plura ipsi suppetant media, nec non vehementior isque innocuus naturæ stimulus eos urgeat, id quod & PUFEND, intendit, dicendo: naturam parentibus peculiarem liberorum curam injunxisse. Statuitur enim hic ipse stimulus naturæ ideo esse inditus, quo inter societatis membra aliqui adflent, qui singulari prorsus studio aliorum curam susciperent atque cogent, hoc vero disposuit ita, ut singulorum commoda eo certius promoveantur, adeo quidem, ut si alii, qui communi tantum nobis obstringuntur vinculo, officium suum negligerent, alii tamen quoque extarent ac reperirentur, quibus difficile perquam sit, ipso naturæ stimulo certe repugnante, se hoc abdicare officio. Ad hanc ipsam vero curam peculiarem referenda quoque sunt ea, quæ commoditatem liberorum spectant. Cum enim Deus intenderit, ut ea etiam, quæ aliis sunt commoda, exhibeantur, velle haud quaquam potuit, ut liberis commoditatis officia denegerentur. Et quia hæc ab aliis exigat liberis exhibenda, multo magis ut a parentibus ea exhibeantur, voluisse credendum est. *Vid. EXCELL. DN. RECHENB. noster Inst. Jurisprud. natur. L. 3. Tit. 3. §. 12.* Hisce enim & occasio officii hujus explendi propior, & ipsa natu-

naturalis inclinatio observationem hujus officii faciliorem reddunt. Habes proin hic officii quoque humanitatis fundamentum, utpote quod in eo consistit, ut aliis præstentis ea, quæ ipsis sunt commoda & grata, nobis non incommoda. Et quamvis in his etiam quoddam deprehendatur incommo- dum, plerumque a liberis maxime compensatur, hi quippe proximam ha- bent occasionem parentibus quoque inserviendi, cum patria antequam potestate exierunt utriusque parentis fortunæ proximi sint consortes, atque ad succurrendum eorum necessitatibus, ipsa mensæ & habitationis vicinia in- signiter sollicitentur. Quid quod teneris etiam amoris stimulis irritan- tur ac urgentur, ut suam quoque operam in eo collocent, quo bene sit paren- tibus. Ipsi autem hi stimuli, dum illos & aptiores & promptiores reddunt ad parentes juvandos, in causa quoque sunt, ut a liberis quam plurima in parentes officia commoditatis extent, quæ quidem eorum incommoda suo modo compensant, ipsosque parentes, quo & iis commoditatis officia vicis- sim præstentur, fortissime incitant. Inter hæc commoditatis officia insigne sane illud quoque est, quo rebus nostris alios juvamus, id quod in illo casu nobis potissimum incumbit, si res illæ nobismet ipsis usui esse non possint, aliis tamen egregie prodesse queant. Quare parentes obligari omnino videntur, ut cum ipsi post mortem suam facultates hand vertere in usum possint suos, ad liberos illas devolvendas curent, qui optime atque commode iis- dem usuri judicantur. Nec ullius cuiusquam Jus magis ad illa bona, quam quidem liberorum, conspicitur ac deprehenditur,

§. XVII.

At vero videri posset, parentes hac quidem ratione obligari, quoties stimulo naturali ad aliquid faciendum urgerentur, & quoties officiis illis, quæ parentibus exhibuerunt, tale quid promeruerint liberi: rationem ve- ro agnoscere, quod licite sane bonorum suorum heredes alios scribere pos- sint, si nec stimulo naturali urgeantur ad ampliorem liberis hereditatem re- linquendam, neque officiis meritisque eorundem ad illud ipsum incitati fue- rint

rint. Huic ergo quaestioni sequentia satis putamus factura: Quodsi nimirum parentes nihil plane teneant, quod ad liberorum commoditates promovendas relinquere possint, haud certe obligantur, ut suum defraudent genium, quo istis liberorum commoditatibus bene aliquando consulant. Si vero tantis facultatibus omnino praediti ac stipati sint, quibus etiam post sua fata commoditati vitae liberorum succurri possit, aut ipsi quoque insimul praevideant ac divinentur, liberos suos facultatibus istis amplioribus relictis non in societatis utilitatem Numinisque divini gloriam recte usuarios, sed potius illis ad luxum atque omne licentiae genus abufuros esse sanae rationi maxime congruum videri posset, ut hoc in casu majorem hereditatem non in liberos sed in alios potius deriverent. Verum enim vero & hoc loco observandum cum primis venit, num illud de liberis iudicium leviori tantum conjectura, at vero majori certitudine vel demonstrativa vel probabili nitatur. Certo certius profecto est, quod conjectura solido fundamento destituta non tollat parentum obligationem, ratio vero demonstrativae certitudinis, si qua quidem daretur, hac obligatione parentes omnino eximat. Sed haec non facile reperietur in causa iudicii de futuro liberorum statu formandi. Si ratio autem probabilis adsit, quae metu hujusmodi parentum animum a proposito heredes ex asse scribendi liberos deterreat, ubi illa ratio ex ingenio liberorum etiam in adultiore aetate, variis experimentis satis perspecta atque ex via emendationis per efficacissima remedia frustra sapius tentata, tale quid parentibus suadeat, tum agnoscit quidem sana mens, hujus farinae liberis ampliora ad omnem eorum licentiam adaugendam permittenda minime esse bona. Cum vero hominum ingenia varient, saepeque illi, de quibus spes nulla vel exigua valde prius fuit, ad frugem redeant, rerum ratio quoque firmissime parentibus innuit ac suadet, ut non ad alios plane sua revolvant bona, liberosque sic omni spe atque usu eorum privent, sed potius bonorum suorum Curatores tenentur constituisse qui liberos post fata eorum relictos, si perversos mores exuere videant, etiam ad commoditatem promoveant, sin vero minus respuerint atque in vita dissoluta perstiterint, alio modo bona ista cum societatis fructu dispendent



sent Quoniam enim parentes obligantur, ut eo sine liberis hereditatem etiam splendidiorem relinquunt, quo tanto feliciter egregias artes addiscere, virtutem consecrari, Reique publicæ prodesse valeant, tenentur etiam, ut quod finem hunc, hereditate majore relicta, turbat ac intervertit, omni studio atque animi contentione removere allaborent. Hi itaque cum ex iis, quæ quidem supra adducta fuere, satis intelligere queant, se ab ipso Deo potissimum destinatos esse, ut liberorum suorum ante omnes alios curam agant, huic officio, quoad licet ut satisfaciant, nullo non tempore obstringuntur. Id quod commodissime peragitur, si hoc in casu in emendationis eventum ita de bonis suis disponant, ut tum temporis quoque fructus, eorum percipere possint liberi.

§. XVIII.

Quod si vero parentes nulla, vel debiliore saltem inclinatione ad bona liberis relinquenda ferri sibi ipsis videantur, ex hoc tamen fundamento ab ipsa hac obligatione nondum liberi pronunciarî possunt. Namque probe attendendum venit, an stimulus aliquem naturalem, qui eo homines alioquin impellit, neutiquam sentiant, ideo quod in genere naturali quadam sensus duritie impediti nullis fere stimulis naturalibus satis afficiuntur. Hoc si fuerit, non utique censendum est, quod nullus naturæ adsit stimulus ad liberorum felicitatem promovendam, sed saltem debilior ex temperamenti eorum conditione resultans, quique adeo non sufficit ad tollendam obligationem.

§. XIX.

Sin vero iste non satis sentiat stimulus, quoniam cause ab extra accedunt, quæ illum impediunt e. g. si mores liberorum ingenio parentum maxime adversi molestique fuerint, probe iterum perpendendum est, an mores illi eam ob rationem parentibus adversentur, quod non satis conveniant legibus, vel num illos ideo tantum abhorreant, quod affectibus suis, & quam quidem ex ingenio sibi sinxerunt, actionum normæ contrarii sint.

Ubi enim posterius fuerit, ut naturalis nimirum inclinatio liberos constituendi bonorum heredes, vel langueat, vel prorsus exulet, ex stimulo his de causis absente congrua peti haud potest ratio liberos vel plane exheredandi, vel hereditatem eorum circumscribendi. Etenim abesse hoc in casu statuitur stimulus, non eam ob rationem, quod a Deo naturæ haud inditus sit, sed quod perverso parentum ingenio penitus supprimatur qui tamen non exstinguendus, sed potius conservandus atque declarandus erat.

## §. XX.

Quod si vero liberorum mores parentibus adversi sint, eo quod non satis conveniant legibus, inquirendum certe erit, utrum ea, quæ committuntur, ex malitia, an potius ex ignorantia, præcipitantia, & rationis infirmitate committantur? si enim ex infirmitate peccant, non necesse erat, ut illa gravius irritati parentes naturalem opprimerent stimulum, quo alioquin impelli poterant ad hereditatem liberis relinquendam,

## §. XXI.

Liberorum malitia si vero in culpa sit, ut igniculi in parentibus pene omnes naturalis *εργη* expirent, atque adeo animus etiam eorum multum abhorreat a scribendo istos bonorum suorum heredes, tum vel maxime videri posset, parentum obligationem expirare, ut nullo legum vel æquitatis vinculo teneantur, ea quoque quæ haud præcise pertinent ad necessaria in liberos derivandi. Interim tamen & hic observare convenit, distinguendum esse inter malitiam & delicta, quibus quidem temporibus præteritis parentes offenderunt liberi, interque illa, quæ eo tempore quo de facultatibus suis disponunt, adhuc durant. Ob prioris generis similitates, quas abolevit recens vitæ emendatio, naturalis *εργη* exstinguenda non est, nec omnia, quæ ex hereditate ad commoditatem liberorum referri poterant, deneganda.

## §. XXII.

Quod si vero gravius deliquerint liberi atque illo tempore non iam respicerint, Nec spes facile imminet mentis imposterum mutandæ, tunc qui

quidem parentes non omnino teneri videntur, ut tales liberos bonorum etiam quæ ad vitæ commoditatem adhiberi possunt, heredes nuncupent. Opera vero, pretium erit, & hic quæstiones distinguere, siquidem cum illa parentum offensione poterit esse conjuncta vitæ totius corruptio, ut spes nulla penitus relicta sit, filium immorigerum ac fere deperditum in usum societatis emendatum iri. Hoc si fuerit, ex superioribus decidenda est quæstio, quæ curatorem suadebat constituendum bonorum sub conditione emendationis demum concedendorum.

§. XXIII.

Sin haud levis autem spes affulgeat, filium utilem aliquando societati- bus humanis præstiturum esse operam, licet antea parentes offenderit gravissime, atque implacabili etiamnum odio contra illos agitari videatur, tum quæstio enascitur, quid hoc in casu respectu hereditatis amplioris liceat parentibus, & quid facere teneantur. Nos ad quædam officia alias ita obligari notissimum est, ut licet alii, quod debent, sua parte non exsolvant ac præsent, nos tamen ab obligatione erga illos nondum immunes simus, cum horum officiorum fundamentum non sit pactum aliquod, cujus vis a non observatis ex utraque parte conditionibus suspenditur, sed voluntas Dei hæc nobis injungentis & quod utrisque debetur rependentis. Videri ergo possit, officium, quo parentes hereditatem amplio- rem, si quidem ea gaudent, relinquunt liberis, ex eorum quoque officiorum genere esse, ut ita quidem, quamvis liberi officiorum suorum partes non rite observent atque expleant, parentes nilominus illis obstringantur, ad ea quoque in liberos derivanda ac transferenda, quæ vitæ commodiori ratione transigendæ inservire queunt. Verum notandum hic est, quod commoditatem horum liberorum non absolute intenderit Deus, sed sub illa conditione, ut hanc nimirum obtineant, si mediis, quæ ad illam ab aliis impetrandam latis apta judicantur, legitime contendiderint, viresque suas adhibuerint. Quoties ergo media illa negligunt liberi, alii homines haud quaquam videntur obligati, ut ipsi hujusmodi officia exhibeant, cum ac patientiæ officium quidem quo alterius inju-

injurias ferimus, ex mente CELEBERR. DN. RUDIGERI aliis debeamus, nisi in illo casu, ubi vindictæ frena laxantes nobis & aliis melesias creamus majores. Ast tale quid fieri haud apparet, si liberis minus obsequentibus hereditas amplior a parentibus subtrahatur. Nec obstat natura officii parentum, cum probabile haud videatur, Deum voluisse, ut parentes, quibus liberi vitam suam necnon insigne educationis beneficiûm debent, qui vero non gratum suum animum, sed insensum potius iis exhibent, ea quæ commoda sunt, subministrent. Quod si enim omnia se contra parentes impune aude-  
re atque agere posse liberi sentiant, videntes, quocunque etiam animo a parentibus beneficia accipiant, nihil eorum commodis plane decedere, multum laxari obligationis vincula, vel saltem animi inventutis ad vilipendendam hanc obligationem vitari videntur. Neque vero summus omnium legislator, qui, ut legibus suis valor confaret, quam maxime intendit, a parentibus ea exegisse credendus est, quæ ad labe-  
factandam liberorum erga parentes obligationem longe aptiora sunt, quam quidem ab eam servandam restituendamque. Quotiescunque igitur magis probabile videatur parentibus amorem in relicta hereditate ampliore declaratum offensam liberorum haud quaquam mitigaturum, verum potius odium & contentum sui ipsius sparsurum ac confirmaturum, tunc quidem ut hæc liberis minime relinquunt, obligantur. Si vero illis ex circumstantiis prægnantioribus probabile sit liberorum animi acer-  
bitatem his ipsis beneficiis in eos collatis expugnatum iri, tum quidem in eorum utilitatem adhuc relinquendum esse aliquid adstrui potest. Ad si ancipitis res fuerit argumenti, curatores bonorum constituendi, censeantur, qui prout vel animum mitigatum vel odium confir-  
matum deprehenderit aut ex bonis parentum aliquid subministrent, aut ad eosdem nihil plane pervenire sinant. Quoniam vero difficile sit ju-  
dicari, num simulates liberorum cessaturæ sint, an serio post fata paren-  
tium delictorum versus illos commissorum ac perpetratorum eosdem præ-  
nitent, cognosci ab illis haud queat, licite a parentibus, ex rectæ rationis di-  
ctami.

clamine suscipi ac peragi potest, quodcunque illis visum fuerit commodissimum. Poterunt itaque liberis, si gravius eos irritaverint, nec spes facile illos factorum suorum dedecus atque ignominiam agnituros immineat, ea quæ vitæ commoditatem concernunt, juste denegare. Poterunt vero quoque, non obstante liberorum offensa stimulo magis naturali sollicitentur, commoditatem eorum amplioribus relictis bonis juvare ac promovere, imprimis si hac ratione ad officium suum redigi, seriumque ad minimum offensa prioris dolorem, declarare queunt.

§. XXIV.

Quod si vero parentum animus ab instituto liberos bonorum ampliorum heredes scribendi abstrahatur, non quidem ideo, quod liberi gravius illos offenderint, sed quod ab aliis plura commoditatis officia quam quidem ab ipsis liberis suis præstita fuerint, parentum obligatio tollitur. Si enim ea commoditatis officia pro ratione virium suarum, prout occasio & vitæ genus quidem tulerit, liberi parentibus exhibuerint, per antea demonstrata parentum subsistit obligatio, qua etiam ad bona, si qua supersunt ampliora, in liberos derivanda tenentur.

§. XXV.

Hac ab quæstione nunc ad illam descendimus, an, quoties bona ad vitæ commoditatem liberis relinquenda parentes obligentur, iidem etiam ad omnia profus bona ad liberos devolvenda ac derivanda obstringantur. Qua in re ex superioribus satis superque elucescit, Juris Naturæ interpretes eo usque parentum obligationem haud quaquam extendere, quo de argumento clarissima quoque PUFENDORFII extant verba. *J. N. & G. L. c. 10. §. 7. p. 591. edit. Herr.* De cætero ita liberis favere debet pater, ut tamen ideo cæterorum officiorum respectum non penitus exuat, unde postquam satis est visus liberis prospexisse, haud quicquam prohibetur, quominus bonis suis utatur ad gratum animum aut liberalitatem exercendam, licet et ideo ad liberos perventuram sit minus. Sic si quis magnis cujusdam

beneficiis fuerit usus, aut egregio ingenio cum inopis luctanti occasionem præbere possit, quare non particulam bonorum aliquam in hunc devolveat ret? Ratio certe, quod parentibus tale quod profecto liceat, non obscure est: cum enim parentes habeantur legitimi bonorum suorum Domini, atque adeo vi hujus domini res suas vario modo alienare, in eorum situm sit potestate, manifeste satis apparet, quod si obligationi suæ, quam habent erga liberos, satisfecerint, etiam tunc alia commoditatis officia, quæ aliis etiam debentur, rebus suis uti possint. Hæc inter commoditatis officia omni profecto jure referri meretur grati animi officium, si insignia ab aliis beneficia in nos collata fuerint, ut hæc, quoad licet, compensare studeamus. Quod si igitur & bonis in usum benefactorum relictis gratum nostrum animum tessari possumus, si quidem nulla prior obligatio videtur, hoc vel maxime officium observandum censetur. Nec obstant, quæ supra de benefactoribus, sancti neque propinquis in hereditate postponendis protulimus: Ea enim de prima hereditatis portione, hæc de secundaria agunt. Pari modo se habet res, si inclinatio nostra eos nos impellat, ut vel indigentioribus, vel bene de republica meritis vel & bene merentibus, qui aliorum simul ope maxime indigent, ex bonis nostris quicquam relinquamus. Nam & hoc recte a bonorum possessoribus fieri, nemo forsitan dubitaverit.

De modo utitur in summis §. XXVI. num. 1. et 2. et 3. et 4. et 5. et 6. et 7. et 8. et 9. et 10.

His itaque excussis, quæri ulterius posset, quota igitur bonorum pars a parentibus debentur liberis, si ad vitæ necessitatem atque commoditatem juvandam conferre velint, quod quidem debent? Quale argumentum arctissimo cum illo nexu cohæret, quod de legitima liberis debita monent Juris Naturæ & Civilis periti. Si nomine Legitimæ veniant ea, quæ ad alimenta necessaria referuntur, vel major, vel minor hereditatis pars, prout bonorum summa vel exigua vel ampla, huic negotio destinanda erit, Idem quoque asserendum, si sensu Pufendorfiano alimentorum nomine non solum veniant ea, quæ ad vitam naturalem conservandam putantur necessaria, sed & quæ hominem ad sociale vitam idoneum reddunt. Siquidem & hic in æqualitas



æqualitas intercedit, tum ex diversa parentum fortuna & filiorum indole derivanda, tum ex majori & minori hereditate proveniens. Pari ratione ob-  
 tinet, quod si secundum Juris Civilis stilum legitima sæpe complectatur ea,  
 quæ ad commoditatem vitæ pertinent, mutandam esse portionem heredita-  
 tis sic dictam legitimam, numero liberorum vel majore vel minore existente.  
 Cum enim omnibus & singulis liberis, quæ ad alimenta etiam in sensu Pufen-  
 dorfiano accepta referuntur, relinquenda sint, firmissime quin & planissime  
 sequitur, ampliorem hereditatis massam liberis, si eorum major fuerit nume-  
 rus, reservandam esse, quam si minor. Ex hisce vero luculenter satis appa-  
 ret, Jus naturæ non præcise partem aliquam vel tertiam vel dimidiam determi-  
 nare hereditatis, quæ ad liberos necessario pervenire debet, cum tertia inter-  
 dum, interdum pars dimidiâ vix sufficere queat, ubi & illud ipsum fatetur  
*B. BETER, Delin. Jur. div. nat. & pos. a. 22. n. 87. It. ZIEGL. ad*  
*Grot. p. 225. edit. Becm:* scilicet Jus Naturæ docet quidem ea, quæ ad ne-  
 cessariam honestamque sustentationem pertinent, ad liberos pervenire de-  
 bere: Idem quoque demonstrat, si illud quidem fieri possit, commodita-  
 tis rationem cum primis habendam esse, quo & de hac ipsa liberis suo modo  
 a parentibus prospiciatur. At vero portiones secundum certum numerum  
 non designat atque determinat, quanta præcise pars, an semissis, an tertia, an  
 quarta, liberorum hereditatem absolvere atque complere debeat. Interim  
 Jus idem naturæ agnoscit, quod, si homines in civitates coeant, tum quidem  
 leges civiles determinare certas rationes possint, liberis Legitimæ titulo relin-  
 quendas. Namque leges civiles eo potissimum tendunt, ut modos edoce-  
 ant speciales, præcipiantque quibus partim Juris Naturæ præcepta, partim  
 ejusdem licita ex usu societatis civilis hoc vel illo modo constituta exequi de-  
 ceat. Jam vero, si parentum arbitrio res omnis permitteretur, ut ex suo inge-  
 nio hereditatis partem, quotamcunque velint, tribuerent liberis, fieri facilius  
 posset, ut, his non satis bene cupientes, tertiam partem tantum bonorum assi-  
 gnerent, hoc quidem sub prætextu, quasi plures tribuere non valerent opes, vel  
 hæc satis ipsis sufficerent, cum dimidiam tamen partem relinquere possent &  
 deberent:

deberent : Vel si etiam officio suo parentes pro viribus satisfecissent, scilicet tamen locus concederetur suspitionibus liberorum, ac si parentes ex ingenio suo de bonis suis disponentes, cum plura in eorum transferre possent utilitatem, eadem ipsis denegassent, Videt ergo & sana ratio ex suis principiis, uberiora litium & suspitionis semina spargi, quod si arbitrio parentum legitimam permittatur determinare. Allegatur hæc ratio certæ portionis, quæ legitima dicitur, constituta *l. 8. §. 8. ff. de in offic. testam. l. 6. C. cod.* Approbat itaque institutum Juris Civilis, quod liberis assignat portionem, quæ legitima titulo insignitur, quæque iisdem non nisi prægnantibus de causis in *Nov. 115. c. 3.* determinatis, adimi potest. Apparet etiam Juris Civilis institutum, cum trientem bonorum quatuor & infra liberis, semissem quinque & pluribus addicat. Nititur quippe hæc divisio legibus proportionis atque æquitatis, quæ minor hereditatis pars paucioribus liberis sufficit, pluribus vero major attribuenda venit, Et quantum vis, si as sit exiguum quatuor liberis diamidium hereditatis tribuendum videatur, cum civiles tertiam tantum suppeditent leges, determinatio tamen a Jure Civili facta nondum accusari potest vitii, ideo, quod in hujusmodi determinationibus plurima ratio tantum haberi potest, licet interdum reperiantur casus, in quibus uni vel alteri alia via melius prospici possit.

### §. XXVII.

Hac ex quaestione subnascitur alia, nimirum: an Naturæ Jure divisio hereditatis inter liberos æqualis præcipiatur, an vero id ipsum divisionem in partes inæquales permittat atque interdum commendet? Hereditatem, quæ relinquitur liberis, in partes dividendam esse æqualem suadere videtur relatio liberorum ex iisdem parentibus genitorum communis, quam habent ad eosdem parentes. Ex hoc enim fundamento, quod eam ob rationem liberos parentibus dedit DEVS, quo præ aliis hominibus peculiarem eorum curam se suscipiant & gerant, eadem quoque via sequitur, quod & parimodo ratione numeri cujusvis individui curam agere debeant, eo, quod omnia individua absque singulari respectu prerogativæ cujusdam præ ceteris ad peculiarem



liarem ipsiſcuram tradita ſunt. At vero ex iſto fundamento illud quidem fluit, non poſſe parentes diſiſione inæquali illam hereditatis partem, quæ ad liberorum ſuſtentationem neceſſaria eſt, eamque, quæ eorum commoditatî uni ex liberis ſufficit, vendicare atque attribuere, ac reliquis adimere, illud tamen nondum ex eo firmiter colligitur, quod nulla plane ratione partes inæquales hereditatis facere illis liceat. Huc pertinere videntur verba *PVEENDORFII*, dicentis *J. N. & G. L. 4. c. 11. §. 8.* ſimplex valde eſt credere pietati paternæ adverſari inæqualiter ſua bona inter illos diſtribuere, quorum unus æque atque alter ab ipſo eſt procreatus.

§. XXIIIX.

Primo enim manifeſtum eſt, ſtimulum hunc naturalem in parentibus erga certum individuum ex liberis plerumque vehementiorem deprehendi, quam erga ceteros, id quod ſæpius dependet a nativitatî ordine, a corporis animique dotibus, a ſexus diverſitate, nec non a meritis verſus parentes declaratis & præſtitis, imo a præclara ſpe, quam denuo præ ceteris parentes ſibi conceperunt. Videtur vero ratio illa, quæ ex majori atque evidentiore inclinatione, qua parentes flagrante magis amore verſus hunc præ ceteris liberis feruntur, deducitur, nondum ſufficere, ut illi quidem plura ex bonis quam ceteris assignari poſſint, niſi rationes, quæ ſtimulum teneriorem ſuffolciunt, rei hujus æquitatem demonſtrent. Ex illis vero, quæ amoris ſtimulum erga certum individuum ex liberis fortius incitare videntur, adeo ut etiam ad amplioſiorem hereditatis partem iſti conſecrandam, impellantur, non penitus rem conſficere videtur egregia corporis forma, vultus gratia, majorque temperamentum parentum temperamento convenientia.

§. XXIX.

Ad Primogenituræ Jus, quod apud gentes omnium antiquiſſimas portionem hereditatis præ aliis primo quidem genito attribuit, fundamento ſuo, ſi accurate explicetur, non deſtituitur. Fieri hoc ad ſplendorem familiarum conſervandum *PVEENDORFIUS* aſſerit, quam quoque opinionem ejus, ſi non de vana dignitatî oſtentione accipiatur, rejiciendam minime

censemus. Potest nempe primogenito pars amplior concedi, cum qui-  
 dem in finem, quo is, si parentes mortui fuerint, relictae familiae, quasi pa-  
 rentum loco, cum autoritate praesit, & quantum fieri potest, ceterorum li-  
 berorum ex hac familia curam agat, eorumque necessitates commo-  
 litatesque adjuvet & conserveat. Cum enim primogenitus reliquis ita antecedit, oc-  
 casionem ipsi ceteris paribus proximam esse, quo autoritate, prudentia, &  
 ampliori rerum usu reliquis antecellat, probabile maxime est. Putatur  
 vero inaequalis divisionis ratio satis omnino conveniens esse, huic nempe  
 praeter ceteris plura ex bonis concedere, ut deinceps ab illo uno tanto facili-  
 us ac melius promoveri queat utilitas singulorum. Id quod si fieri debet,  
 necesse omnino est, plura suppetant, cui quidem incumbit, ut etiam prospiciat  
 aliis. Licet ergo ex hoc fundamento primogenitus majoris portionis  
 heres scribi posse appareat, primogenitos tamen actu ipso hereditatis am-  
 plioris possessores constituendos rationi sana in illo casu videtur, ubi non  
 solum aetate, sed virtute etiam, prudentia, atque rerum usu, reliquos ante-  
 cellant. Si enim parentes per divisionem inaequalem hoc iuvant, ut  
 quoddam liberorum membrum plura accipiat, quo si unum forte vel alte-  
 rum ex ceteris liberis adversa cum fortuna conflictaretur, ab illo, qui plura  
 accepit, auxilium petere possit, plura certe ei quoque suggerenda fuisse  
 sponte sequitur, qui haud ea, licentiae frena laxans, perditurus, sed virtute  
 & prudentia conservaturus parentibus fuit visus. Haec vero saepe in alio-  
 rum liberorum magis, quam quidem in primogenito deprehendun-  
 tur. At quoniam hocce negotium, si dignissimo ceterorum liberorum  
 cura semper committenda foret, tum quia haud satis liquet, quinam inter  
 relictos liberos habeatur dignissimus, tum quod litium & invidiae inter fra-  
 tres semina hac ratione haud levia spargantur, insignibus difficultatibus  
 prematur, licite a gentibus praerogativam primogenitorum intro-  
 duci debuisse, nisi quis primogenitus vitae profligatissimae arguatur, ap-  
 pareat,

§. XXX.

Ex alio fonte, si inæqualiter bona distribuenda sunt, prærogativa aliqua minimorum natu plura præ cæteris petendi atque accipiendi deduci posse videtur. Etenim hæc amplior portio hereditatis licite derelinquenda judicatur, eo quod hi plerumque vivis suis parentibus, ad se ipsos juvandos, non eadem ratione usi fuerint, quam quidem natu majores. His igitur ex parentum hereditate plura concedenda sana suadet ratio, quoniam ad honestam educationem vitæque usum pluribus certe indigent. Hæc vero quoties accipiunt, licet pars ista, quam accipiunt, amplior omnino sit, hoc pacto demum æquati reliquis videntur liberis, quippe qui viventibus adhuc parentibus cura & beneficiis eorum diutius adjuti fuerunt.

§. XXXI.

Idem statuendum est, si fato quodam liberorum unus corporis infirmitate maximo laboret & afficiatur, atque ideo insigni vitæ miseria prematur, quandoquidem tunc temporis clarissimum est, pluribus ad vitam honeste transigendam huic præ reliquis opus esse. Sana igitur ratio dicitur, ut in hoc casu partes inæquales constituentur, pluraque infirmo & misero concedantur, utpote qui per totum vitæ suæ decursum iis fortasse haud gaudebit, quæ industria & labore suo sibi acquisivit. Quamvis & hæc ipsa divisio non omnis ex parte inæqualis extet, eo quod, licet ipsam hereditatem in majores minoresque partes dividat, accurate ad proportionem tamen attendat, quo illi, qui pluribus indiget, plura, qui vero paucioribus, pauciora quoque attribuat.

§. XXXII.

Poterit vero etiam amplior portio uni præ cæteris liberis assignari, si unius inter reliquos præstita parentibus officia meritaque enituerint. Pari ratione, si haud vana spe lactati fuerint parentes, unum liberorum suorum individuum præ reliquis virtute multum & doctrina & meritis in rempublicam

cam ceteros superaturum. Nam & hoc in casu rationi luculenter apparet, Deum utique hoc velle & probare, ut succurratur iis, qui ad publicos usus omnem suam industriam omnemque animi contentionem conferunt, cum vel maxime a parentibus iuvari liberos voluerit, quo ad fines ejus promovendos reddantur idonei.

§. XXXIII.

Cognata ergo huic materia illa, quæ ad sexus diversitatem in familia inæqualiter dividenda attendit. Queritur sc. num filiis plus, quam filiabus exhereditate relinquendum sit? Primum quidem filiarum pluribus ad vitæ necessitatem & commoditatem, quam filiis indigere, videntur cum hi sua magis opera & labore, quæ ad vitam honestè transigendum spectant, acquirere valeant, quam quidem filiarum, utpote quæ meliorem nubendi conditionem ubique inveniant, si ampliori gaudeant patrimonio. Verum licet quidem filiarum regulariter suo labore sibi non possint tantum acquirere, quantum filii, illis tamen pauciora satisfaciunt, quam quidem filiis, dummodo eæ, quæ ad victum & amictum pertinent, quæque ipsis ad vitam sufficiunt, possideant, cum contra plures sumptus honestis artibus, optimisque literis, in Reipublicæ utilitatem, a masculis impendendi sint. Ad nubendi vero conditionem amplificandam majore hereditatis portione filiabus præ reliquis concessa parentes non obligantur, cum illi, qui in matrimonium ducunt uxores, nullum Jus habeant, ut hanc præcipuam honesti matrimonii conditionem faciant. Nulla ergo est parentum obligatio, ut hinc perverse consuetudini saveant ac subscribant. Quinimo si una ex parte parentes obligarentur ad conditionem filiarum aliquando elocandarum amplioribus facultatibus relictis ornandam, ex altera parte iidem quoque obligarentur, ut filios quam maxime juvarent, quo in Dei honorem, & societatum humanarum emolumentum adolescere possint. Jam vero si ex utraque parte obligantur, præferendi tamen sunt filiabus filii, quoniam per hos immediate Respublica magis iuvari & amplificari potest, cum filiarum non nisi mediate Reipublicæ offerunt utilitatem, si nempe maritos de Republica egregie merentes opi-

opima dote sua, quam iis intulerunt, ad illud ipsum magis instruunt, dum alias vilioribus negotiis atque functionibus tantummodo profuissent. Recte itaque statuitur, parentes, si in partes inæquales hereditatem dividere velint, filiis præ filiabus plura tribuere debere. Cum enim filiae in alias familias regulariter transeant, celebratisque nuptiis maritos habeant, qui de necessariis & commodis iisdem prospicere teneantur, parentes ab hac obligatione respectu filiarum liberari facilius possunt, quam intuitu filiorum. Cumque modo eminentiori societati utilitatem præstare, & creare possint mares, quam quidem feminae, ex eo etiam fundamento his subministranda sunt plura, quo felicius in usus Reipublicæ insigniores eniti valeant.

§. XXXIV.

Super est denique adhuc quæstio, num idem Jus sit liberorum Legitimorum naturalium & spuriorum ad hereditatem a parentibus relictam? Notandum est liberos ex congressu nasci posse, qui propter sanguinis propinquitatem ipso Naturæ Jure prohibetur, unde & illi incestuosi appellari possunt. His quoque ea, quæ ad vitæ necessitatem pertinent, ex parentum bonis permittenda esse recte docet *PUFEND. l. c. §. 6.* Quamquam Imperator in *Nov. 89. c. ult.* secus de his statuisse videatur, cujus tamen sententiam commodius exposuit *ULRICUS HUBERUS prælect. ad Inst. tit. de Success. ab intest. n. 7.* Ratio hæc est, quod hi, quamvis ex incestu progeneri sint, nihilominus ope aliorum ad vitam honeste transigendam intelligant, a quibus quidem se genitos vident. Nec obstat quod ex concubinitu, qui voluntate divinæ contrarius est, nati fuerint. Nulla enim hac in re liberorum, sed parentum culpa occurrit, ut adeo vitæ necessaria ipsis denegari nequaquam possint. Alia vero eorum est ratio, quæ ad majorem vitæ commoditatem pertinent, de quibus judicium peti poterit ex sequentibus. Sed operæ pretium potius est, ut sub examen vocemus Jus liberorum ex eo concubitu natorum, qui propter sanguinis propinquitatem prohibitus non est.



§. XXXV.

Nititur vero hic concubitus, si status naturalis hominum legibus civilibus solutorum respiciatur, partim consensu vitæ consuetudinis, etiam postea sive ad tempus, sive perpetuo continuandæ, partim nullo hujusmodi consensu, idemque commercium alteri cum aliis deinceps permittit. Quod si ergo ad statum naturalem tantum attendamus, nec ad ulla leges civiles respiciamus, duæ tantum nobis offerentur liberorum species, de quibus quaestio institui potest, utrum, si in hereditate parentum adeunda concurrant, idem sit utrorumque Jus ad parentum bona. Queritur videlicet, an liberi ex congressu nati, qui consensu vitæ consuetudinis nituntur, quos naturales dicunt, plura accipere debeant, quam quidem illi, qui ex concubitu hujusmodi consensu destituito geniti sunt, quos ad spurios referre possis. Respondeo, si statum naturalem solum respicias & rationis ductu rem expendas, non quidem constat, quod parentes obligentur, ut portionem spuris minorem, quam naturalibus, eo sensu quo vocem accepimus, relinquunt. Si tamen plus uni, quam alteri ex liberis assignare velint, ratio etiam agnoscit, magis convenire, ut naturalis plus accipiat filius, quam spurius. Cum enim illa maris & feminae conjunctio, quæ nullo plane consuetudinis vitæ postea continuandæ pacto nititur, ipso Jure Naturæ imperfectionis atque inconvenienciæ arguatur, illorum quoque, qui ex hujusmodi conjunctione procreati sunt, inferiorem potius conditionem esse debere, quam eorum, qui ex perfectiori nati sunt, rationi clarissime patet. Ex quo etiam fluit, in bonis accipiendis locum obtinere prærogativam naturalium præ spuris, imprimis, cum despuris, si de parte quæras, a quo hereditatem debeant petere, res incerta satis sit.

§. XXXVI.

Denique respiciendo ad statum civilem, nova inde oritur species conjunctionis maris & feminae, ad quam non consensus tantum, partis utriusque individuum arctissimamque vitæ consuetudinem sistens atque promittens,

requiritur, verum etiam consensus ejus expressa declaratio, secundum circumstantias illas, quas Reipublicæ leges, in qua vivimus, injungunt, facta. Hi ergo, qui ex tali matrimonio generantur & nascuntur, legitimorum titulo contra distinguntur aliis, qui naturales dicuntur, atque ex conjunctione, quæ consensu diuturnioris vitæ consuetudinis fundatur, secundum legis civilis verò instituta declarata haud est, procreati sunt. Leges civiles etiam hujusmodi instituta circa matrimonium introducere potuisse, ipsa sana agnoscit ratio, agnoscitque etiam & novit semel introductorum æquitatem. Namque e re certe est aliorum, qui nobiscum eadem in civitate vitam degunt, ut conjugium, quod quis contraxit, cognitum ipsis sit, ideo, quod ad illud faciat, ut tum in vitæ consuetudine, tum inprimis, successione, ordine magis omnia, variis alias litibus certo orituris, evitatis, peragi possint. Si itaque ad declarationem matrimonii leges civiles hoc vel illud instituerint, & huic tantum matrimonii secundum ea instituta contracta omnes Juris effectus indulerint, a certo haud alienum est, quod melior etiam eorum debeat esse conditio, qui ex hujusmodi matrimonio secundum omnia Jura legitime procreati sunt. Et licet bona inæqualiter dividantur, melior sane intendi debet legitimorum conditio, quoniam hi bonis illis regulariter uti feliciter possunt ad societatis commoda, artibus operisque honestioribus promovenda, quam naturales, quibus varias ipsæ leges civiles occasiones emergendi denegant atque adimunt.

## §. XXXVII.

Satis itaque verborum de inæqualitate, quam parentes, in bonis dividendis sequi possunt, ut & de obligatione in genere parentum erga liberos ad bona illis relinquenda, fecimus, quæ cuncta de utroque parente, patre & matre, re ipsa sic docente, intellecta volumus. Quod si vere utriusque morte abrepti parentes reliquerint liberos, atque avus vel avia superstites adhuc fuerint, num & hi ad hereditatem quandam nepotibus relinquendam Jure naturæ teneantur, quæri, ulterius potest. Carent autem hæc omni

plane difficultate, cum avus & avia parentum profecto loco sint, & soli quidem reputentur, qui hoc titulo liberis, parentibus semel morte extinctis, prospicere possunt, quam quoque ob rationem jure Hebræorum, Græcorum, & Romanorum nepotes avorum heredes constituuntur. *Vid. GROTIUS de J. B. & P. p. 281.* Imo etiam Jure Civili recte eos per stirpes succedere statuitur, eo quod non immediate ex Jure suo, sed ex Jure, quod a parentibus ad illos devolutum est, succedunt. Quamobrem non nisi portionem, quæ parentibus liberorum vendicari atque adsignari ab iis poterat, expectare queunt, & quæ regulariter putatur eadem, quam & quisque ex ceteris liberis accipit, sibi que vendicavit. *vid. PVFEND. J. N. & G. p. 589 & 595. edit HERT. BOECLER. & ZIEGL. ad GROTIUM p. 528. edit BEGM. B. BEYERUS Jurisprud. div. p. 148.*

§. XXXVIII.

His vero omnibus, quæ de parentum obligatione erga liberos ad hereditatem illis relinquendam, hactenus prolata fuere, minime aboletur liberorum erga parentes obligatio. Namque sanæ rationi quam maxime videtur consentaneum, ut si quis parentes, nullos vero post fata sua liberos habeat superstites, tum quidem bona sua, si nec conjugem relinquat, parentibus suis præ aliis relinquere teneatur. Ea enim conspicitur liberorum & parentum conjunctio, ut non tantum parentes liberis, verum etiam ipsi liberi parentibus ad plura præ aliis etiam officia obligentur. Etenim parentes sunt illi, quibus hujuscemodi officia commodissime præstari possunt a liberis, quoniam hi occasionem proximam majoremque, quam alii omnes ad ea habent. Ipsa quoque naturalis inclinatio, quicquid in his officii incommodum est, fert ac blande removet, quin imo beneficia, quæ a parentibus derivata sunt in liberos, exigunt, ut eadem vel maxime reciprociis officiis erga illos compensentur. Ex his vero etiam pronò fluit alio, quod bonis etiam nostris ante alios juvandi sint, cum ea ab illis acciperimus, vel saltem sollicitè atque honestè illorum curæ atque educatio-



ni debeamus, quod salutaribus laboribus Rei prodesse publicæ, bonaque nobismet ipsis acquirere potuerimus. Accedit & hoc, quod parentes illo quidem tempore, quo a nobis bona accipere possunt hereditate, jam animi corporisque viribus fenescere incipiant, ut haud quaquam sua opera parare sibi possint tantum, quantum adhuc iuvenes poterant. Hoc ergo tempore in primis usui eorum bona, quæ a liberis hereditate ad illos devolvuntur, cedunt. Vid. *PVFEND, J. N. & G. L. a. c. 11. §. 3. VITRIARIUS institut. J. N. & G. c. 7. quest. 12. B. BEYER, J. P. div. p. 149.* Si vero parentes & liberi in hereditate adeunda collidantur, rationes modo allegatæ parentibus aulam præliberis defuncti prærogativam in bonis obtinendis concedunt. Nam plurimæ ex hisce rationibus pro liberis etiam militant, quod supra jam demonstratum fuit, Aliæ vero, quæ accedunt, prærogativam hac parte liberis præparentibus adjudicant & vindicant. Nimirum ipsa res docet, a natura magis destinatos esse homines, ut liberorum potius suorum, quam parentum curam agant. Illo enim tempore quo quidem parentibus occasio nascitur agendi liberorum curam, hi ipsi eorum ope ita indigent, ut sibi nec ipsis prospicere non possint, contra vero tempore, quo liberi parentum curam agere queunt, ipsi parentes jam tenent, quæ ad necessitatem & commoditatem vitæ pertinere, vel sua opera parare possint. Nec liberorum bonis opus habent parentes, quo his ipsis adjuti utiles se Reipublicæ cives reddant, cum hoc jam tempore certum vitæ genus sequantur, per quod societatibus humanis inserviant. Statuenda igitur firmissime venit liberorum prærogativa præ parentibus, quam ipse quoque paginæ sive ex naturali sive ex Romanorum Jure supponunt, cum *Paulus 2. Cor. 12. v. 14.* dicit: non debent filii parentibus thesaurizare, sed parentes filiis, cit. eas etiam *PVFEND. l. c. p. 587.* Hæc tamen prærogativa rationis utique ductu ita judicatur restringenda, ut ea, quæ commoditati vitæ inserviunt, transferri ad liberos haud possint, nisi de necessariis parentibus defunctorum, si hæc quidem indigent, prospectum sit.

## §. XXXIX.

Restat adhuc, ut ultimo loco excutiamus illud, quod liberorum juris ad hereditatem a parentibus relictam maxime obstare videtur. Nimirum si conjugem quis morte defunctus reliquerit, prærogativa utique videtur esse conjugi ita relictæ in bonis defuncti præ ipsis liberis impetrandis. Concedendum hic certe est, relictam conjugem bonis istis quam maxime juvari posse. Largior, quod ex ipsa Dei intentione pacta conjugalia individuae vitæ consuetudinis mutuam eamque singularem curam utrique conjugi injungant; Nec iusticias ire possum, quod in bonis comparandis & tuendis mutua utriusque conjugis opera atque auxilium conspiret; Nec refragabor, quod regulariter officia & necessitatis & commoditatis plura eaque maxima conjugia conjugibus præsententur: Nec denique indubium vocabo, quod ex naturæ stimulo conjuges impellantur, ut unus alteri etiam post fata optime prospectum velit. Ex hisce vero omnibus, si non majus, æquale tamen Jus ad defuncti bona, conjugis & liberis relictis nasci videtur, id quod haud dubie etiam ianuit *Celeberr. GODOFR. POLYCARP. MULLERVS noster disput. supr. cit. §. 3. p. 11.* dum inquit: Juri naturæ conveniens est, ut semper integra bona conjugum, salvis tamen simul liberis, sibi invicem mortua una parte cedant. Et hoc vel maxime veritati consentaneum est, quod utrique parte de necessariis prospiciendum sit, interea tamen cum conjugum in societatis usum jam jam adoleverit, suaque opera, quæ ad vitam sustentandam pertinent, plerumque acquirere possit, rationi quoque convenit, ut liberis, quoties adhuc in Reipublicæ utilitatem educandi sunt, amplior hereditatis pars desinetur, quoties vero iidem in usum Reipublicæ satis jam adoleverint, habeantque nude commode vivere possint, tum conjugi, si hæc senio fuerit proxima, ea, quæ ad commoditatem vitæ pertinent, quantaque satis putantur, relinquenda videntur. Quod si vero rationes, cur liberis pars amplior relinquenda sit, illis prorsus æquales sint, quæ majorem ad conjugem derivandam esse portionem sudent, tunc quidem huic vel illi plus attribuat defunctus, prout inclinatio major nempe tulerit. Sed cum incertitudo in his

his quoque materiam litibus ferendis omnino præbeat, ratio quoque agnoscat, æquum maxime fuisse, ut certum quid ad societatis tranquillitatem per leges civiles determinetur. Atque hac ratione absolvimus L. B. ea, quæ de parentum obligatione erga liberos circa hereditatem iis relinquendam dicenda nobis visa fuere. Potuissent multa ex his deduci, quæ casus speciales enodarent: Sed consueti dissertationis obflare videbantur limites, quominus eadem adjiceremus, quare fundamenta hac ipsa dissertatione de Larasse, eamque placido tuo iudicio subiecisse, nobis jam sufficit.

F I N I S.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



ULB Halle

3


005 361 524



v078







35.  
2674

DISPUTATIO JURIS NATURÆ 1720/4  
DE QVÆSTIONE:  
AN ET IN QUANTUM  
JURE NATURÆ PARENTES  
OBLIGENTUR AD HÆRE-  
DITATEM LIBERIS POST  
OBITUM RELIN-  
QVENDAM?

QVAM 1721  
AMPLISSIMI ORDINIS PHILOSOPHICI  
CONSENSU  
PUBLICÆ DISQUISITIONI SISTUNT  
P R Æ S E S

M. DIETRICH GOTTHARD  
ECKARD,

ET  
RESPONDENS  
CHRISTOPH. HEINRICH SEGNIZ,  
SCHENCKENBERGENSIS.  
DIE XXII. MARTII ANNO M DCC XX.  
H. L. Q. C.

— — — — —  
LIPSIAE,  
LITTERIS JOHANN. GOTTLIEB. BAUCHII.

